51893/B

728

N. 14.

DE METHODO MEDENDI VARIOLIS HACTENUS COGNITA SÆPE INSUFFICIENTE MAGNO PRO INOCULATIONE ARGUMENTO

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AD

AMICUM SUUM INTEGERRIMUM
CLARISSIMUM DOCTISSIMUMQUE
VIRUM

D. IO. CASPARUM SULZERUM
SERENISSIMI DUCIS SAXO - GOTHANI
CONSILIARIUM ET ARCHIATRUM

EXARATA

A

D. BALTHASARE LUDOVICO TRALLES
MEDICO VRATISL. ATQUE ACADEMIÆ CÆS.
NAT. CURIOS. ADJUNCTO.

VRATISLAVIÆ
SUMPTIBUS IOANNIS ERNESTI MEYERI
1761.

303684

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

§. I.

Litteras has humaniſſimas, *Vir Eximie*, quibus me de nunquam intermoritura Tua fide, deque intemerato amore, certum eſſe jubes, inter calamitates publicas, privatis ærumnis tantum non ad incitas redactus, accepi. Verum ſane in illis analepticum pharmacum, in ipſa cordis mei penetralia ſeſe diffundens, ac in dejectam, et triſtiſſimarum cogitationum labyrinthis irretitam animam generoſius agens offendi. Egebam omnino tali, qui ſumma corporis mentisque ſenſibilitate laboro; utinam utriusque paullo majorem firmitatem Medicus, Philoſophus, Chriſtianus, mihi comparare noſſem! In ea tamen facili mobilitate, quæ vitæ meæ dulcedinem toties perturbat, & infringit, nexa ſemel bono conſilio amicitia, firmum & tenacem propoſiti Virum ſemper me præſtiti. Atque inſignes animi Tui dotes, & præclara Tua & ſolida eruditio, una cum rara illa morum ſuavitate & lenitate qua polles, Clariſſime SULZERE, quaque qui Te norunt, ſine exceptione omnes, Tibi ultro, Teque quaſi neſciente, devinctos & obſtrictos reddis, non poſſunt aliter, quin & mihi amœniſſi- *Introitus.*

 mam

mam imponant neceſſitatem, Te quoad vixero tenerrimo affectu non ſaltem ceu fratrem, ſed ut gemellum meum colendi, atque deamandi. Gaudeo impenſe de emendata Tua, ex quo in Thermis carolinis feliciſſimo ſidere meus factus es, deque Neceſſariorum Tuorum integerrima valetudine, liberosque Tuos amabiles Inoculationis beneficio, quam mihi adeo humana admonitione deprædicas, ſervatos, & ab immani illa mihique ſemper abominationi futura Variolarum naturalium lue præſervatos. Addidit Tibi ad intrepidos & generoſos auſus animum, inter ea quæ expoſuit Celeb. de la CONDAMINE lectus & relectus elegantiſſimus Cl. TISSOT juſtificationem inſitivæ Prophylaxeos complectens. Te nil moveri Virorum qui contrariantur, licet doctiſſimorum, dehortationibus & terriculamentis; ſed indies experientia repetita Inſitionis eximias prærogativas magis addiſcere, candide mihi ſcripſiſti, quin me obſecraſti & obteſtatus es comiter, ut Fautorum Amicorumque meorum liberos utiliſſimæ methodo mature ſubjicerem, vitasque eorum felix lucrarer. Jam vero ni fallor noſti ex Tractatu meo de Opio, quem Tibi probari lætus animadverti, in Sileſia mea eam nondum introductam eſſe, quanquam a multis annis non defuerint Medici ipſi mirum quantum faventes, qui tamen omnes validiſſimis ſuis argumentis, puſillanimium Parentum, Variolas ſemper procraſtinatas, etiam graſſantibus iis, optantium & ſperantium, aſſenſum obtinere, & dubia eorum moralia & theologica diluere nequiverunt. Me quod attinet, cum adhuc ſtudioſus eſſem medicinæ, a Præceptoribus & Lipſienſibus & Halenſibus, Inoculationem non ſaltem non rejectam,

ſed

ſed laudatam, & magnifactam optime memini, atque jam tum FISCHERI & VATERI [1]) Germanorum Medicorum encomia ipſi tributa legi; & ab optimo Præceptore HOFFMANNO diſcipulis ſuis commendatam audivi, qui publice quoque eam commendare non dubitavit. [2]) Propria interim Experientia deſtitutus inde petitis rationibus, quæ demum valide ſatis ferire poſſunt illius hoſtes, eidem patrocinari nequeo, quanquam non negem, mihi ab ipſis annis academicis ad hunc diem, lectis & expenſis omnibus, quæ de hac materia conquirere potui, magna prærogativa gaudere viſam eſſe Inſitionem variolarum, præ curatione ſpontanearum qualicunque, id quod ex iis quæ Sect. II. de opio p. 126. diſputavi, clare eluceſcit. Non ergo immerito Cl. TISSOT in parvo Schediaſmate ſuperiore anno edito me Ill. LIEUTAND ad latus poſuit [3]) & inter amicos Inſitionis retulit, nimis bene ibi de mea tenuitate ſentiens. In Praxi 30. annorum, quam ultra mediocritatem extenſam in Urbe populoſa exercui, non defuit occaſio, ſæpe ſæpius videndi variolas innocentes, benignasque admodum, quæ adeo etiam ſine artis adjumento ſua ſtadia feliciter percurriſſent. Novi bene, millenos infantes in ſuburbiis, & ruri aliquando ſanari ſponte, darique adeo bonæ indolis variolas, ut commiſſis etiam erroribus in remediis, & regimine, vulgo ſatis familiaribus, nihilominus non jugulent. Tantum vero abeſt ut morbum Variolarum facile ſanabilem eapropter habuerim unquam, ut potius, ipſum fremenda & horribili ac peſtifera prorſus facie ſubinde incedere, & peritiſſimi Medici opem indefeſſam præfracte eludere, & ultra

1) *In diſſertationibus de Transplantatione Variolarum.*

2) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. cap. de Variolis.*

3) *ad Illuſtr. Zimmermannum de Morbo nigro etc. p. 45.*

omnem humanam potentiam malitia ſua longe eminere, convictiſſimus norim. Quodſi vero in ea fuiſſem hæreſi, utplurimum ſaltem legitimæ Therapiæ, quæ a ſummis Viris præcipitur, obedientiam praeſtare Variolas, licet diu intellexerim, fruſtra non raro agi omnia a dexterrimo artifice, ad meliorem frugem me tandem reduxiſſent, & aliter ſentire feciſſent, ultima durante Epidemia, quæ longe lateque ſtragem edidit, ægri quidam a me ægerrime ſervati, binique caſus ſumme lugubres, quorum vel ſola memoria animo meo indelebilis hærebit, & quoad vixero infandos dolores ſæpe renovabit.

§. 2.

Occaſio Opuſculi.

Feſſus a concatenatis practicis laboribus, & ab aliis animi ærumnis, quas perpeſſus fueram, ineunte Junio elapſi Anni iter ſuſcipiebam ad Thermas Hirſchbergenſes, ut in hac amœniſſima valle, quam montium Sudetorum corona cingit, curas meas delinirem, corporisque ſanitati cum meæ, tum meorum liberorum, imprimis amatiſſimae filiae natu minoris, annum 16. agentis, proſpicerem. Expectabant me & invitabant veteres quidam germanæ fidei Amici, egoque in amplexus eorum ruere quantocyus anhelabam; certior ſimul reddebar eorum litteris, Variolas, ut Vratislaviæ jam paſſim obvias, ita & Hirſchbergæ ac in confiniis florentiſſimæ hujus urbis ſeſe prodere incepiſſe. Excipiebar ſumma humanitate in ædibus Generoſiſſimi cujusdam Viri, cujus ſpectatiſſimæ Familiæ per aliquot annos a conſiliis medicis fueram; atque hujus quaſi ſinu receptus, & cum meis optime habitus, bonam partem temporis ſumma mentis tranquillitate abſumebam, per unam hanc cogitationem ſubinde interrupta,

quod

quod & tres filiæ lectiſſimæ ornatiſſimæque, cum filiolo annum nondum egreſſo, & ſoror unica benevolentiſſimæ Hoſpitæ, nobiliſſima, ſua ſtirpe digniſſima, venuſtiſſima, & omni virtutum genere, quæ ſexum amabilem exornant, inſtructiſſima Virgo, variolarum jugum nondum humeris excuſſiſſent, cujus doloroſam & periculoſam gravitatem mirum quantum omnes extimeſcebant. Ego quantum poteram eas ſolamine meo erigere allaborabam, provocans ad me ipſum, qui filia equidem natu majore hunc morbum jam experta, natu minorem adhuc eidem ſubjectam, & filium 8. annorum puerum, non minus illius candidatum mecum adduxiſſem. Atque ut nil diſſimulem, inſtructus variarum Epidemiarum experientia, optimorumque librorum qui variolas pertractant, lectione, quanquam horridam earum faciem & verſipellem indolem ſatis etiam cognitam haberem, videbar tamen mihi nihilominus armis validis munitus, quibus contra hoſtem niſi ſumma rabie inceſſurus foret, ſi opus eſſet, felix dimicarem. Selegeram praecipuum meum domicilium in thermis, ibidemque ſæpius cum Medico probo, induſtrio, & docto, mihique a multis annis amiciſſimo, Cl. SCHNEIDERO rerum occaſione ita ferente, de variolis, deque earum curatione, & inſitione, colloquia miſcebam. Inter libros, qui mihi in otio meo litterario ad fallendum tempus inſervirent, ad manus quoque erant, Viri Summi, Doctiſſimi de HAEN *Quæſtiones ſæpius motæ ſuper methodo inoculandi Variolas* &c. una cum epiſtola Cel. TISSOT ad eum eapropter exarata. Verbis exprimere nequeo, quantopere venerer diffuſiſſimam illius eruditionem, & indefeſſum laborem, quo juſſa

Auguſtiſſimæ ſuæ Imperatricis de amplificandis limitibus artis, felix capeſſit, quantaque voluptate volverim & revolverim libellos ejus utiliſſimos, rationem medendi in Noſocomio publico exponentes. Si tamen bona ejus pace, eloqui mihi libere liceat, quod ſentio, videtur Vir Illuſtris religioni in hoc argumento plus dare, quam opus erat. Nolim hæc ita intelligi, ac ſi juſta ejus veneratione haud ducerer. Amo ego Religionem & colo, dum in ea miſeriarum, ut omnium, ita earum præcipue, quæ vlceroſum noſtrum ſeculum affligunt, unicum & ſolidum ſolatium offendo. Nondum tamen inveni Theologum, cordatum & eruditum, ſive in Lutherana, ut perperam vocatur, ſive in reformata Eccleſia, cum quo hac de re ſermones miſcui, qui ex principiis Revelationis Inoculationem damnaret. Neque credo diſſentire a noſtris poſſe Theologos catholicos, circa ſummum omnino & abſolutum Jus vitæ & necis, quod DEO ſoli in homines a ſe creatos eſt, & circa relictum liberum arbitrium, quod illo non obſtante nihilominus obtinet, aut potius circa obligationem, quæ impoſita eſt hominibus, illud omne mature a ſe declinandi, quod periculoſum & mortiferum ipſis imminet. Arrogat ſibi, ut dicit, ſine jactantia jure titulum Theologi & Medici, catholicæ religioni addictus, JOHANNES RENATUS MARIA JOACHIM et tamen pugnat pro Inoculatione, & argumenta, ut alia, ita & theologica contra eam bene refellit. Placet mihi quando ſcribit: [1]) *Fateor, ſimpliciter & cæce Religioni obtemperandum; ſed tamen & prudenter, ſimplices nos decet eſſe ſicut columbas, ſed ſimul & prudentes ut ſerpentes, quemadmodum ipſa nobis incul-*

1) *Tract. chir. medica, an Variolas in noſtris regionibus inoculare ſit conſulendum*, §. 17. *Argent.* 1755.

inculcat Veritas incarnata. Sola ſimplicitas columbina ſerpentum deſtituta prudentia, ad varios te ducet inextricabiles labyrinthos. Simpliciter igitur, ſed & prudenter credendum. Non omne contra Religionem eſt, quod prima fronte ipſi jactatur contrarium. Nonne autem dum noſtram conſervationem ex voluntate divina nobis debemus, ad autochiriam deflectimus, id negligentes, quod ad noſtram conſervationem facit? Minime ego contradixerim hoc ipſum urgente Cl. KIRKPATRIK.[1]) Ut vero theologicæ difficultates vere nullæ dantur, quod ab Anglis Theologis[2]) dudum evictum eſt, (licet immaturo zelo aliqui eorum accenderentur, cum Inoculatio primo in Patria ſuſciperetur) ita phyſicis & medicis objectionibus, quas præter theologicas propoſuit idem Ill. de HAEN, ita ſolide ſatisfeciſſe Ill. TISSOT credebam, ut non facile ſupereſſe aliquid, quod opponi poſſet, reputarem. Quin cum Eximius Academiæ Vindobonenſis Profeſſor Epiſtolam TISSOTI Viennae ipſe imprimi curaſſet, non multum aberam, ut mihi perſuaderem, convictionem de præſtantia Inoculationis huius rei cauſam exſtitiſſe. Verum eam opinionem mihi ſtatim excutiebat laudatus modo SCHNEIDERUS, quando mihi *Refutationem Inoculationis* gallice ſcriptam Cl. de HAEN, hactenus mihi nondum viſam, Bigæ Virorum Excellentiſſimorum Cel. de la CONDAMINE & TISSOTO oppoſitam communicabat, avide ſtatim a me perlectam.[3])

1) *in Præfat. libri de Inoculatione.*

2) MADDOX, SOMME, DODDRIDGE.

3) *Aliqua reſpondit ad eam Tiſſot in parvo ſchediaſmate ad Zimmermannum & reſpondebit fuſius, ut ibi promittit, in nova editione Inoculationis juſtificatæ.*

§. 3.

Inoculatio videtur admittenda, cum Vario-

Semel hic iterumque moneo, me directe pro Inoculatione haud ſcribere, nec me ipſum mihi ſat idoneum tali labori videri. Mirum quan-

læ ſint morbus, ſæpe ſat gravis.

quantum igitur abſum, ut me controverſiæ inter ſummos hos Viros agitatæ immiſceam. Eapropter etiam præcipua & palmaria illa argumenta non fuſe excutiam & examinabo, quæ inter eos agitata ſunt. Breviter dicam, non validam adeo mihi videri contra Inoculationem objectionem, quod multi provecta etiam ætate moriantur, nunquam Variolas paſſi, in quibus adeo Inoculatio foret ſupervacanea. Namque ſat ſæpe obſervatum eſt, fruſtra apud nonnullos Inoculationem fieri, nullis ſubſequentibus Variolis. Id inter multos Inoculatores & Tu obſervaſti plus ſimplice vice, Æſtumatiſſime SULZERE. Hi quos inſitum virus non inficit, ea propter videntur haberi debere pro illis felicibus mortalibus, qui nullam intus alunt diſpoſitionem ad Variolas; adeoque Inſitio neminem Variolis laborare facit, qui ſine ea illis nunquam laboraſſet. Dubito an pluris cenſeri debeat alia objectio, teſtari fide dignos Medicos, frequenter ſe vidiſſe tales, qui bis variolis veris laborarunt, ut adeo gratis ſuperata cum ſuis ſequelis Inoculatio non præſervet a Mali recurſu. Neutiquam in dubium vocare volo, Auctorum duplices variolas aſſerentium teſtimonia; ego ſaltem in mea Praxi tale exemplum non vidi, neque etiam a Collegis meis viſum recordor. Novi bene, ſpurias Variolas aliquoties pro veris habitas a matronis, ſapere volentibus, quibus modeſte contradixi. Credo etiam decipi poſſe Medicum, ut ſpurias pro veris benignis habeat. Errare eapropter is poteſt, quia vt ſpuriæ, ita & veræ quandoque ſine magna vel nulla febre invadunt. Qui has bene novi, ante breve tempus in facie & toto corpore Illuſtriſſimi Curiæ Supremæ Sileſiacæ

Præſi-

Præſidis, vidi variolas ſpurias numeroſas, veris, quæ in noſtra Civitate familiares erant, ſimillimas, ſpiſſum liquorem puriformem continentes, cicatrices hinc inde relinquentes, ita ut niſi ſat ſæpe vidiſſem utrasque, ſpurias mihi hic forte imponi paſſus eſſem, ægrumque, qui diu veris laboraverat, bis iis laboraſſe credidiſſem. Paulo poſt vidi Puellam ſine febre ſpuriis conſperſam undique, magnam ſimilitudinem etiam intuitu puris cum veris habentibus, quae duobus annis antea veris laboraverat, id quod ex relatione matris, & ex cicatricibus clarum erat. Allegatura Cl. de HAEN, [1]) & ab iis, qui Inoculationi non favent, exemplum Conſtantinopolitanæ Puellæ, quæ periit Variolis naturalibus, maxime malignis, poſtquam ante 20. annos inſitivas variolas feliciter ſuperaſſet. Satis apte ad hanc motam difficultatem reſpondet Cl. TISSOT. [2]) Mihi vero videtur tota hæc hiſtoria, ab Infidelibus petita, infidele exemplum, ſi omnes circumſtantiæ ejus penſitentur, ipſaque hæc Puella una hirundo, non faciens ver. Paulo durius contradicit illi ſententiæ Clariſſ. MEAD, [3]) quæ bis in uno ſubjecto veras variolas poſſibiles, & vere obſervatas ſtatuit. *Quod ad illos ſpectat*, inquit, *qui Variolis arte factis perfuncti iis tamen denuo laboraſſe dicuntur, ipſe profecto ſumma diligentia adhibita, ne unum quidem documentum, quo id ſatis conſtaret, adhuc reſcire potui. Scio interim jactari paſſim maxime a nupero quodam Auctore hiſtoriolam de Puero, in quo tribus circiter annis elapſis, poſtquam ab inſitione morbum contraxerat, de novo proruperunt Variolæ. At novi etiam dubiæ admodum fidei eſſe hanc narrationem. Ut igitur dicam quod res eſt, ſi tale quid ſemel evene-*

1) *In quæſtionibus ſæpius motis, circa finem.*

2) *Lettre p. 96. ſeq.*

3) *c. III. p. 67.*

evenerit, cur non frequentius idem contingere videmus? Aut quid valere debet ſingulare exemplum, certum licet, & exploratum, cum in aliis fere innumeris id genus experimentis nil tale unquam uſu compertum ſit. Sed tenet nonnullos inſanabile ſcribendi cacoëthes, & immenſum aliis, quibus invident, contradicendi ſtudium. Demus ergo illis hanc veniam, ut ſua fruantur κενοδοξίᾳ. Quæ aſperiora dictu ex his ſunt, neutiquam mea facio, ſæpe tamen mihi hæc cogitatio ſubiit, ſi recurſus variolarum verarum aliquando accidat, nemini ſine dubio magis debet imminere, quam medicis, diuturnam praxin inter ægros variolis laborantes exercentibus. Unus ſaltem eorum deberet bis variolis laborare, cum omnes ſuperato jam morbo largiſſimam occaſionem habeant, denuo hauriendi contagium, isque ſine dubio hanc ſuam notabilem experientiam non reticeret, ſed publici juris faceret. Tale exemplum clamans, tale argumentum ſtringens præ Puero, cujus mentionem facit Mead, & præ Conſtantinopolitana Puella, deſidero. Eſto vero, hanc vere inſitis & deinde naturalibus laboraſſe! Quid inde! evaſit poſt inſitionem, mortua eſt naturalibus. Nonne hoc probat evidenter adſcititias eſſe ſecuriores? Nonne ſi multa invictiſſimæ fidei exempla darentur, bis toleratarum Variolarum, quæ tamen ad minimum oppido rara ſunt, nihilominus conſultum foret, ſecuram inoculationem inſtituere, cum multo probabilius ſit, & certius, ſine ea ingruere poſſe Variolas immedicabiles, quam adminiſtrata ea, olim iteratas. His omnibus expenſis toties, fateri tandem debeo ingenuus, & ab autoritatis præjudicio remotiſſimus, adeo ingentem numerum, qui indies

dies increſcit, Medicorum piiſſimorum, eruditiſſimorum, & experientiſſimorum, pro eadem validis momentis militantium omnino efficere, vt pro ejus parte, eam licet non expertus, & experiri impeditus, ſtare haud dubitem. Firmiter, antequam Cel. de HAEN, quod vix expectaveram, contrarium aſſereret, mihi perſuaſum habebam, verum Inoculationis Patronum fuiſſe etiam BOERHAAVIUM, ſeveræ pietatis, & æquitatis, bonique publici ſtudioſiſſimum Virum, cui errores agnitos vitæ hominum infenſos publice abjurare incumbebat, non in Collegiis ſaltem, coram diſcipulis, ſed publice, quia publici juris facti erant ejus Aphoriſmi, & ubique oracula ſuo jure habebantur, quod is ignorare nequibat. Quodſi ego non nimis inhabilis textus ipſius in Aphoriſmis ſim Exegeta, ſique regulas hermenevticas aliquo modo applicare ipſi norim, id ipſum ex præcedentibus, & ex verborum ipſorum ſenſu facili, nec detorto, patere conſiderem. Loquitur BOERHAAVIUS [1]) de ineluctabili pernicie morbi Variolarum, ſi is ſit vehementiſſimus, ichor loco puris, & tota fere cutis occupata; addit perniciei hujus rationes potiores, quia internæ partes nobiliores etiam Variolis ſunt obſeſſæ; infert, tantæ magnitudini mali graphice depictæ, neceſſaria eſſe magna & ardua requiſita ad curationem; pergit, vulgata auxilia pereuntibus ob mali magnitudinem tot ægris, fruſtra applicari; igitur in initio mali invadentis ſumma tentanda inculcat, cum vulgata methodo nemo niſi ſponte emergat; Immediate tum addit, *Prophylaxis inſitiva videtur ſatis certa, tutaque.* Anne ergo ſumme probabile redditur, ipſum eidem vere favere? Quid enim

1) *Aph.* 1403.

enim præter eam, ſi vulgaria auxilia quandoque fruſtra adhibeantur, tandem ſupereſt, maxime ſi ſtibium & mercurius, quæ remedia antea laudarat, non ſint ſufficientia antidota varioloſi ſtimuli, aut negligantur. Quicquid ſit, id ſaltem ex his omnibus ſole meridiano clarius eluceſcit, Summum BOERHAAVIUM, qui optimam methodum medendi præmiſerat, non obſtante ejus præſtantia, variolas pro morbo ſæpius lethifero & ultra artis potentiam extenſo habuiſſe, & declaraviſſe. Ipſi autem huic methodo, ſi V Sem & purgationem ad ſecundam febrem impugnandam, ab Anglis commendatam, & monita eorum de Variolis non ſemper methodo antiphlogiſtica ſanabilibus, ſed cardiaca interdum & excitantia poſcentibus, atque uſum Corticis peruviani in peſſimis excipias, nihil ad hanc diem additum eſt, & a Boerhaaviana hac, illa quam expoſuit de HAEN, quod notari velim, neutiquam abludit. In Commentario illo, quem diſcipuli ex ejus ore calamo exceperunt, licet præter ejus voluntatem mendis plenus fuerit editus, ad aphoriſmum 1402. verba leguntur: *Miſer hic ſtatus eſt* (ſuppurationis quippe,) *& neceſſum foret, ut ſemper adeſſet Medicus*, SÆPE *enim ægri ſubito moriuntur, ob pus ad interiora delapſum.* Deinde cum fomentis aſſiduis, vinum, victus tenuis putredini adverſus, & opium laudatur additurque: *Si hæc non juvent, neſcio quid juvare poſſit.* Sane niſi vehementer fallor, ſatis calamitoſum ægrorum ſæpe ſtatum eſſe, omnia hæc verba loquuntur. Eo magis igitur miror, qui factum ſit, ut Cel. de HAEN, tantus tanti Præceptoris diſcipulus, adeo accurate morborum levitatem & gravitatem una cum eorum differente indole cognitam

gnitum habens, Variolas nihilominus, ſi modo ars ſagax acceſſerit, pro morbo utplurimum ſanabili venditaverit. Refert in *Quaeſtionibus* ſe ſanaſſe 240 ægros, ex quibus 4. ſaltem ſint mortui, egoque de hac felicitate, cui parem multi præſtantiſſimi Medici ſincere ſuas curationes eloquentes haud experti ſunt, ipſi maximopere gratulor. Mihi diu Sydenhamiana & Bœrhaaviana & Anglorum SYDENHAMO recentiorum veſtigia prementi quam accuratiſſime, non licuit eſſe adeo beato. Obſtupeſco videns Illuſtrem Virum tantum non omnem culpam lethalitatis Variolarum infortunatæ methodo tribuere,[1]) ita quidem ut 500 homines ao. 1759. Viennæ Variolis mortuos, partim neglectu parentum, ſed maxime a Medicis trucidatos credat, perperam deteſtantibus morbi perniciem, cum alii præcepta SYDENHAMI & BOERHAAVII ſequentes ejus benignitatem laudarent. Bene novi eorum præſtantiam, eam ſat ſæpe expertus; longe vero abſum, ut credam, benignitatem & malignitatem Variolarum unice pendere a methodo medendi Bœrhaaviana, vel in uſum vocata, vel neglecta, quam ipſe Auctor inſufficientem habet, qui aliter de medicatione variolarum ſine Variolis & cita obtuſione ſtimuli varioloſi antequam ſuos effectus producere queat, plane non, aut praeter omnem neceſſitatem, cogitaſſet. De illis ægris qui a' Medicis bonis Viennenſibus curati ſunt, non conſtat qualibus Variolis laboraverint. Credo aut diſcretis aut ſaltem cohærentibus, vel confluentibus regularibus. In refutatione Inoculationis Cel. de HAEN[2]) Cl. TISSOTO oppoſita adducuntur equidem teſtimonia Auctorum faciles ſanationes Variolarum eloquentia, verum

1) *de Febribus p. 103.*

2) *Cap. II. p. 64. ſeq.*

TISSOT

1) *Lettre à Mr. de Haën pag. 19-31.*

TISSOT [1]) antea Graviſſimorum Virorum a morbo inter mortales cognito, usque ad noſtra tempora valida teſtimonia magno numero allegaverat, malignum variolarum ingenium luculenter commonſtrantia. Stat ergo acies Haeniana, ſtat Tiſſotiana, dimicatur æquo Marte; ſed experientia irrefragabilis docet, a ſexto Seculo ad id quod labitur, viſas eſſe Epidemias benignas, viſas eſſe valde malignas, et innumeros homines variolis exſtinctos, etiam recentiori tempore, quo Sydenhamiana methodus jam caput ubique efferebat. Mortuus eſt Sydenhamus anno 1689., prodierant ejus opuſcula jam 1683. Amſtelodami, & deinde Lipſiæ edita ſunt cum acceſſionibus 1695. Mortuus eſt Variolis Glorioſiſſimæ memoriæ Imperator JOSEPHUS anno 1711. ætatis anno XXXIII. An credibile eſt in aula Cæſarea, ubi ſemper doctis Medicis, ut ad hunc diem, magnus honos habitus fuit, neminem Archiatrorum methodum Sydenhamianam cognitam habuiſſe? Abreptus fuit Variolis eodem Anno in Gallia Sereniſſimus DELPHINUS poſtquam 50. annos vixerat, deinde idem morbus abſtulit ejus filium Ducem Burgundiae trigeſimum ætatis annum agentem, ejusque Uxorem & filium primogenitum, fratrem hodierni Regis Chriſtianiſſimi. Periit eodem morbo nepos Auguſtiſſimi Imperatoris LEOPOLDI, ſereniſſimus Princeps Bavariæ *Joſephus Ferdinandus*, Electoris *Maximiliani Emanuelis* Filius, cujus obitus gravi bellô ob ſucceſſionem hiſpanicam geſto occaſionem dedit. An omnes Medici quibus tot Celſiſſimorum Principum ſalus eo magis cordi erat, quo magis tot populorum ſalus inde pendebat, aut non legerunt *Sydenhamum*, aut non intellexe-

runt,

runt, aut parvi fecerunt ſocordes? Nocuit ſine dubio Sereniſſimæ Angliæ Reginæ, quæ Variolis defuncta eſt, cujusque morbum lugens deſcribit Gualterus HARRIS [1]) Theriacæ uſus, a *Lowero* ipſi olim nimis laudatus, a Sydenhamiana autem methodo omnino alienus. Non tamen crediderim, a binis doſibus ſub primum inſultum variolarum aſſumtis, pependiſſe unice, quod puſtulæ fuerint omnium deterrimæ, & ſumme perniciosæ, eryſipelas referentes & petechicis ſtigmatibusque peſtilentialibus, & una magna veſicula ſupra cordis regionem inſtar cujusdam anthracis ſtipatæ; quodque jam octavo die trucidaverint. Internam potius malitiam Morbi accuſo, quæ licet exaſperata fuerit calido remedio, tamen nec Sydenhamianæ medelæ, nec ulli alii ſine dubio auſcultaſſet. Sane quando de Variolis & earum therapia ſermones miſcent aut controverſias Practici, de diſcretis benignisque ex ſua natura, quæ ſponte & ſine Medici adeo acceſſu curabiles erant, & curatæ ſunt, nil dicendum eſt. Si non darentur *variolæ confluentes*, ubi rem periculoſæ aleæ plenam eſſe dicit SYDENHAMUS, [2]) has a diſcretis, ut confluentes a peſte differre memorans, (licet apud hominum vulgus cui nomina pro rebus ſunt, utrarumque curatio ex æquo prædicetur,) ſique adulti de quorum corio maxime luditur, ſemper laborarent diſcretis, aut confluentibus melioris indolis, forte Inoculatio omnis foret ſupervacanea. Raræ ſunt in Urbe noſtra, quæ bonos Medicos a calido regimine & calefacientibus remediis abhorrentes (abſit omnis jactantia) a longo tempore aluit, raræ ſunt in tota Sileſia Familiæ, quæ ſuos liberos juniores & adultos ſub tu-

1) *Obſervationum de morbis aliquot gravioribus VII.*

2) *p. 188.*

 tela

tela optimorum Medicorum necatos non lugeant. Clarum adhuc diu poſt fata Nomen eſt Illuſtr. noſtri de HELWICH. En quid de Methodo Vratislavienſi expoſuerit. [1]) *Piaculum nobis fuit, ſi motus & agitatio jam ſatis magna in ſanguine deprehenderetur, ebullitionem in infantum, puerorum, juvenumque corporibus calidioribus remediis augere — — — — religioni etiam nobis duximus intempeſtiva calefactione, coopertura que lectorum plumis diſtentorum igni in ſanguine oleum affundere, alieniſſimi fuimus ab obtrudendis juſculis carnium, victum refrigerantem, moderatiſſime calidum aërem commendavimus,* Arabes *ſecuti. Dedimus juſcula alterata acidis, acetoſa, berberibus, limonibus, dedimus diligenter nitroſa, & Syrupum acetoſitatis citri.* Putasne vero aliter egiſſe Virum eximium cum propriis liberis? interim hac expoſita methodo non obſtante, quæ toties profuerat diſcretis, confluentibus Variolis abreptam luxit trimulam optimæ indolis filiam, parentum & domeſticorum amorem & delicium, cujus morbum ita vivis coloribus deſcripſiſſe dicit SYDENHAMUM, ac ſi hiſtoriam Variolarum confluentium adornantis oculis fuiſſet objectá. [2]) An credibile eſt, eo tempore ullum præceptorum Sydenhamianorum oblivioni dare potuiſſe mœſtiſſimum & ſimul doctiſſimum Parentem? An tot Medici, qui liberis ſuis & agnatis eadem docta arte adſtiterunt, & variolas tamen ſanare nequiverunt, habendi erunt pro Autoribus funerum? Poteſt hiſtoria illa, vel in totum, vel ex parte falſa eſſe, quæ ad me ante duos & quod excurrit annos delata eſt, abſtuliſſe Variolas in Collegio Thereſiano digniſſimum Filium Illuſtr. van SWIETEN jam bene adultum, Parentemque ne ad Imperatoriam Prolem

conta-

1) *Hiſt. Morb. Vratisl. Anno* 1700. *p.* 7.

2) *ibid. p.* 12.

contagium detuliſſe reputaretur, commiſiſſe curationem alii Medico. An, ſi veritati rei nil deeſt, quod in medio relinquere cogor, hic cognitione methodi Sydenhamianæ & Bœrhaavianæ deſtitutus, aut ſi fuiſſet, inſtructione paterna accuratiſſima carens fingi poteſt? antequam carum adeo pignus ipſi committeretur. Atque ad hanc diem Civitatibus, quæ doctiſſimos Medicos poſſident, Variolæ nihilominus ſunt infeſtæ. Citat Cl. TISSOT [1]) in recentiſſimo opuſculo Genevenſes, qui nuperrime plures ſibi variolis ereptos doluerunt, ut Comitem ab *Holſtein*, Nobiliſſimumque a *Pleſſein.* Provocat ad illuſtres familias Monſpelienſes, quarum liberi diris variolarum ſymptomatibus divexati brevi abrepti fuerunt. Mentionem injicit libri prelis adhuc madidi, *de morbis puerilibus*, cujus Autor fertur Senior Medicus monspelienſis, qui variolas aliquando mites, ſæpe tamen etiam adeo malas dicit, ut pauci ab iis ſanentur, ipſasque morbum generi humano infenſiſſimum vocat, adeo graviter ſævientem, ut ingentem hominum numerum jugulet. Nollem hic ubique infortunatam methodum increpare! Pace Illuſtr. de HAEN, quem toto corde deamo, & veneror, dicere mihi liceat, SYDENHAMUM, ad quem, dum Autores pro ſecuritate morbi ſtantes allegat, fidenter provocat, & cujus verba adfert, [2]) quod diſcretum genus omni prorſus periculo ex ſua natura vacet, quodque perpauci e plebe hoc morbo pereant, non minus ſequentia ſcripſiſſe: [3]) *Tam ſibi quam aliis imponunt, qui attollunt criſtas, quoties eos ſanaverint, quibus exanthemata numero pauca, eaque interſtincta efflorescebant. Si tentare libeat quantum in arte valeant, in Variolis confluentibus vires*

1) *ad Zimmermannum de morbo nigro &c. p.* 47. 48.

2) *Refutation p.* 67. 68.

3) *p.* 477. 478.

 expe-

experiantur, maxime quoties vel florentes ætate, vel eos qui immodica vini ingurgitatione nimium incaluerint, hic morbus invaſerit. Ne in levioribus exercitati ita toto cœlo aberrent, ut ſe eos ſervaſſe exiſtiment, quos ipſi adſtantes non occiderint. Ita loquitur SYDENHAM, quem decies legendum voluit BOERHAAVIUS,[1]) cujusque deſcriptioni variolarum, adeoque & methodo medendi, pauca ſaltem addenda is habuit. Non ergo ſola perverſa medicatio, qua utique multi trucidantur qui ſervari potuiſſent, culpa funerum haberi debet. Fateor me non ſemper infelicem in ſanatione hujus morbi, erepta olim ex manifeſto periculo propria Uxore, quæ confluentibus variolis gravida laborabat, quæque tum, lingua vernacula a me conſcripto libello, VSnem contra recepta præjudicia commendandi occaſionem dabat, ante annos magis extenſos limites artis habuiſſe, quam eos nunc habeo, ita quidem ut tot laudes & prærogativas Inoculationem vix mereri reputaverim. Verum triſtiſſima experientia convictus fui, optimæ methodi, a Viris ſummis præter SYDENHAMUM & BOERHAVIUM amplificatæ, & ad apicem perductæ viſæ, inſufficientiam alta quaſi voce clamare aliud remedium, morique juniores & adultos nulla arte ad hunc diem cognita ſervandos, morique inter ineffabiles & tremendas miſerias. Atque hoc ipſum argumentum potiſſimum exequar, Inoculationem ipſam aliis defendendam & extollendam relinquens, liberum deinceps lectoribus relicturus, an expenſis omnibus ſine præjudicio, mecum ſentire voluerint, an minus, multos ſine dubio leviora incommoda paſſuros aut ſuperſtites futuros fuiſſe, ſi mature in primis ætatis ſuæ annis

1) *aph. 1379.*

annis inſitionem experti fuiſſent, qui adultiores ſummo vitæ periculo exponuntur & miſere moriuntur. Incipiam ab enarratione hiſtoriarum aliquot notabilium, & quæ inde ſequi videntur, deinde adnectam.

§. 4.

Octauum ætatis annum nondum egreſſus Puer a teneris ad hunc diem ſaniſſimus, dentitione olim facile perfunctus, neque unquam convulſus, filius meus dilectiſſimus, novitatis nimium curioſus, me inſcio, in vicinia duos infantes ſatis benignis variolis laborantes, cohærentibus licet, viſitabat, ut nempe hanc faciem rerum oculis ſuis uſurparet. Ego re audita, exprobro ipſi temerariam curioſitatem, & minis ſevere injungo, ne amplius illos adeat, ipſe autem ſe nec horrere id mali genus profitebatur, neque timere in proprium corpus id ſe diffundat, bonoque animo eſſe pergebat, exemplum allegans ſuæ ſororis natu minimæ, quæ ipſum comitata eſſet, æque magnanima. Effluxerunt aliquot dies, cum levitatis ſuæ pœnas dare inciperet, namque poſt horripilationem de intenſiſſimo capitis & dorſi dolore, de laſſitudine ſumma, de nauſea conquerebatur, manifeſtaque febre laborabat. Ego Variolas ante fores eſſe facile intelligens permittebam ut lectum peteret, extra quem, ſi monitis etiam SYDENHAMI mea adjeciſſem, ſe continere haud poſſe, perpetuo ajebat. Exhibebam poſt tepidum pediluvium nitratos pulveres, tincturam vitriolicam, decoctum hordei vel aquam ſimplicem cum ſucco citri & ſyrupo rubi idæi, juſcula avenacea, tenuia, quæ omnia liberaliter uſurpabat. Cum noctem anxius vomituriens & aliena blaterans abſumſiſſet,

Quod probat Hiſtoria I.

1. dies.

2. dies.

 febris-

febrisque mirum quantum increſceret, mature cogitabam de VSe, maxime cum toties curſitans antea ſub calido Jove, ſanguinem multum exagitaſſet. Verum licet antea raro vel nunquam narium hæmorrhagia laboraſſet, ipſa natura artem præveniebat, floridumque cruorem per narium arteriolas ea copia repetitis vicibus per totum diem effundebat, ut vix ejusmodi quantitatem ipſi detrahendam eſſe judicaſſem. Largiſſimum profluxum autem, tantum abeſt ut inhiberem, ut potius ſpongiis calida imbutis & vapore calidæ promoverem, maxime cum multum inde ſeſe levari affirmaret. Remedia eadem cum temperatiſſimo regimine continuabantur.

3. dies. Tertia die jam ſummo mane ampla ſeges puſtularum in facie conſpiciebatur, per artus & totum corpus ſenſim diffuſa, quas ſi non confluxuras, ſaltem cohærentiſſimas futuras facile prævideri poterat, in remediis nil mutatum.

4. dies. Quarto die multo magis adhuc increſcebat Variolarum numerus, pergebat æger in aſſumtione remediorum, ſtrenueque aquam ſimplicem cum ſucco citri potabat, nitrata pharmaca interponens.

5. dies. Quinto eadem remedia cum eodem potu in uſum vocabantur non vero adeo liberali manu, quia febris valde miteſcebat, cumque alvus ſponte ſua quotidie aperta eſſet, & humectatio interna largo ſatis potu præſtaretur, clyſmata abeſſe poſſe autumabam.

6. dies. Sexto poſt noctem inquietam de exquiſito dolore & ardore totius corporis, maxime autem in lingua & faucium iſthmo conqueri incipiebat, quare emulſionem amygdalarum ſeminumque papaveris cum nitri tantillo exhibebam largiter,

cum

cum interpoſito infuſo fol. Thée potandam. Veſperi inquieti & doloribus opponebam aliquot guttulas laudani liquidi, quibus aſſumtis ſomnum per 4. horas licet interruptum capiebat.

Septimo die intumeſcebat ex voto facies, puſtularumque numeroſiſſimarum elevatarum tamen rara interſtitia læto rubore pingebantur. Repetebatur emulſio, ſumma vero difficultas deglutitionis oriebatur, ita nocte inſequente increſcens ob muci tenacis collectam in faucibus copiam, ut linctubus variis hactenus incaſſum adhibitis, ſuffocationis inſtantis metus cito Balneatorem accerſere juberet, qui relictis plumis decoctum emolliens cum melle injiciebat multo fructu, namque æger tenaciſſimum mucum larga copia exſcreabat. Interim tamen brevi iterum renato viſcido ejusmodi proventu, idem vitæ diſcrimen iteratas injectiones, & clyſmatis applicationem poſtulabat. *7. dies.*

Hoc vero die morbi octavo, quo turgor faciei ſummus & reliqua, bona quævis ſperare jubebant, adeo ſevere urgebat, ut per diem & noctem perpetua Balneatoris decoctum ſuum injecturi quoties opus erat, præſentia requireretur. Non vero ſaltem glutinoſorum humorum perennis in tumentes glandulas affluxus multum negotii faceſſebat, verum puſtularum omne os internum cum lingua undiquaque obſidentium ingens copia deglutitionem difficillimam reddebat, exquiſitiſſimoque ſuo quem pariebat dolore omnem adhibitionem paulo acriorum incidentium, aceti, ſalium, vetabat, imo vero ne quidem blandiſſimum nitrum adjici decocto permittebat. Rebus ita ſtantibus inconſultum videbatur noctu opiatum porrigere, cum non adſtantium ſaltem ſed *8. dies.*

& ipſius ægri opem ſibi adferendam anhelantis & urgentis, vigilantia maximopere opus eſſet.

9. *dies.* Accedebat nono die his malis valida febris, anxietate, inquiete, calore, palpitatione cordis ſtipata, quibus malis nitrum in emulſionibus & potu thée cum lacte remixto dilutiſſimum ſaltem mihi opponere, ob exquiſitiſſimum in faucibus ſenſum, licebat. Clyſmati interim circa veſperam applicato id largiori copia admiſcebatur.

10. *dies.* Nocti inter has miſerias transactæ gravior adhuc ſuccedebat dies decimus, cum illis delirium jungeretur, mira idearum ſibi haud reſpondentium varietate turbidum, mihique ſane triſtiſſimum, quod me ſuum parentem non amplius noſceret miſer filius, ſed verum advocari ſubinde multo clamore & gemitu deſideraret. Dabatur media nocte, qua omnia exacerbabantur & evidens periculum inſtabat, Freindiana methodo, benignum laxans, ex manna, quod tribus ſe-
11. *dies.* dibus motis circa auroram diei undecimi, quem fatalem futurum ſummo mœrore affectus opinabar, aliqua ſpe dejectum meum animum recreabat, quietiore reddito ægro, & facilius pauliſper potulenta porrecta deglutiente, febre etiam mitius affligente. Verum hæc circa veſperam novo & auctiore adhuc impetu iterum invadebat, ſymptomatibus omnibus cum delirio valde ingraveſcentibus. Denuo igitur mannato pharmaco de ſalute pueri deſperans opus eſſe ſtatuebam, quod multa cum difficultate ingerebatur. Eousque autem fauſtum effectum alvo iterum aliquoties mota id exerebat, ut febris cum omni malorum comitatu decreſceret, ægerque prorſus ad ſe rediret, atque de Parente monitore hacte-

nus

nus inſuper habito certior factus, inobedientiæ ſuæ veniam inter lachrymas enixe peteret. Sequebatur nox ſine adhibitione Opii ſatis placida & tranquilla.

Duodecimus dies affulgebat felix, namque omnia in melius abibant pulſu fere ad naturalem accedente, quin & oris cavum cui melle roſaceo cum mucilagine ſem. cydon. levamen adferebatur, linguaque mitius dolens deglutitionis negotium vix amplius impediebat. Reiterebatur tamen poſt bene transactam noctem purgans mannatum die decimo tertio, nihilque fere mali variolis ſenſim exſiccatis remanebat, ſi ulceroſa hinc inde vbi nimis glomeratæ fuerant loca excipias, quæ tamen oleo myrrhæ per deliquium pededentim ſanabantur. Æger itaque gravi hoc ſuperato morbo, cicatrices numeroſas Victoriæ ſuæ teſtes nactus in maximum mei & ſororum gaudium, natu minimæ potiſſimum, quæ ipſi, licet Variolas nondum experta, ex ſincero amore noctes atque dies adfuerat, quin & oſcula ſine infectione fixerat, plenariæ ſanitati reſtituebatur. Hanc Inoculationi, ut id obiter notem, deſtinaveram, ante duos, & quod excurrit annos, neque licet auribus ipſius me neſciente mira infortunia inde expectanda inſuſurrarentur, eam reformidabat. Sed paulo poſt nondum menſtruata febre continua periculoſiſſima adfligebatur, a qua vires eousque atterebantur, ut per dimidium annum eas vix recuperaret. Interveniebat mors dilectiſſimæ matris, atque deinde variolis Vratislaviæ, & pure bono, & filis carebamus. Cum annum decimum ſextum agenti catamenia nondum erupiſſent, thermas Hirſchbergenſes experiri, conſultum ducebam. Fine

12. dies.

13. dies.

hoc haud obtento, ad hunc diem obſtat emanſio menſium cum aliis incommodis, Inſitioni. Bonæ vero indolis & animi compoſiti Filia, chara mihi CHRISTIANA, quia dum ſoror natu major bimula Variolis benignis laborabat, tum infans 6. hebdomadum meo bono conſilio in lectulo eius, ut morbum in ſe derivaret, ſine infectione ſæpe per horas jacuit, atque fratri adfuit, ſine noxa, & Epidemiam immunis ſuperavit, inter aliorum mortes & morbos, nunc firmiter ſperat, ſe paucorum hominum illorum numerum ingreſſuram, qui per totam vitam variolis haud corripiuntur. Faxit DEUS!

§. 5.

Hiſtoria ſecunda. Unicus ſpectabilium, mihique amiciſſimorum parentum ardentiſſimo affectu deamatus, optimæ ſpei, imo vero optimam ſpem jam ſupergreſſus 19. annorum filius, cum iisdem Vratislavienſem obſidionem fugiens, in Thermas ſanus & ſoſpes advenerat. Molliter autem aliquantiſper educato, cum in ædibus paternis ante aliquot annos quidam puſiones variolis laboraſſent, perſuaſerant agnati, eum hunc morbum jam in juventute tenerrima ſuperaviſſe, atque in hac opinione ad hunc diem is perſeveraverat. Equo ut ſubinde animi relaxandi cauſa ſolebat vectus, Hirſchbergam uno milliari a Thermis diſtantem abierat, amicos aliquos inviſurus. Nil in diæta peccatum erat, cumque ſemper temperantiæ ſeſe ut aliis virtutibus, morumque puritati dediti ſſimum exhiberet, vinum vix niſi in prandio libabat. Cum vero variolis populariter in hac urbe graſſantibus; ubivis de iis ſermo eſſet, accidebat mala fortuna, ut ex familiaribus nonnemo ipſum interrogaret, an morbum hunc certo

certo exantlaſſet, quia nullas devicti notas in facie ſecum circumferret. Hac quæſtione præter omnem expectationem mota, adeo ingenti terrore percellebatur, ut in thermas redux non ſine tremore, & ſumma animi confuſione honoratiſſimæ matri metum ſuum haud forte inanem a ſe habitum aperiret, quæ tamen ipſum blandiſſimo ſolamine erigere allaborabat, magnanimitatem & ſecuritatem, ob diu ſuperatum malum, ingenioſe ſimulans. Altera die poſt noctem haud ſueta tranquillitate abſumtam, puſillanimis, taciturnus, & quaſi melancholicus circumibat, de dejecto appetitu, de laſſitudine artuum, de cephalalgia, qua tamen interdum laborare conſueverat, conquerebatur, matureque lectum petens ſaltem interrupto ſomno fruebatur. Sequebatur Dominica, quam pro die morbi prima omnibus expenſis haberi fas erat; feſſus licet & languens, ut pietatis exercitio nil deeſſet, nihilominus cum parentibus & mecum, qui ipſi vicinus eram, frequentabat templum; atque cum miniſtro Eccleſiæ textus ſacer de *Juvene Naimenſi* argumentum ſermonis eſſet, ſeria monita de meditatione mortis, etiam floridiſſimis juvenibus neceſſaria, pia quidem ſedulitate, & attentione, non tamen ſine notis animi terrefacti, quas ego clariſſime animadvertebam, audiebat. A meridie cum iterum templum una ingreſſi eſſemus, loco concionis ordinariæ, quam expectaveramus, habebatur funebris, denuoque nonniſi de morte, & ejus ſæpe impræviſæ & repentinæ certitudine, verba ex ſuggeſtu faciebantur. Egreſſus templum probus, bene moratus, & a ſeculi vitiis epidemicis immunis, vitam tamen ſuam, quam ob indulgentiam, & divitias paren-

1. *dies.*

parentum optimorum commode ſatis ducere poterat, & ejus uſum omnino amans juvenis, in cœmiterio inter tumulos & cippos meditabundus exſpatiebatur, nobisque domum redeuntibus aſſidens, hærere ſibi animo triſtem aliquam ideam manifeſte prodebat, quam tamen diſſipare utcunque laborabat ipſe, adulta jam veſpera lunæ ſplendore allectus circumiens. Conquerebatur tamen de dolore capitis paulo magis moleſto, cui ordinarium remedium pulverem antiſpasmodicum halenſem mater me annuente opponebat.

2. *dies.* Poſtquam per integram noctem parum dormiviſſet, ſecunda die mane ſtatim vocabar in auxilium, tumque demum de interrogatione minus opportuna quoad variolas, quæ omnium malorum origo habebatur, certior ego reddebar. Nondum veris variolis laboraviſſe optimum juvenem probe ſciens, qui ipſius & integræ familiæ mihi amiciſſimæ ſanitati a multis annis præfueram, delicatulamque ejus animi indolem in corpore ſatis firmo expertus, obiter habere hanc circumſtantiam nequibam, licet facile petenti matri conſentirem, ut inani fiducia & ſecuritate dejectus ejus animus lactaretur. At vero non obſtantibus dulciſſimis perſuaſionibus, futurorum angor eousque in ipſam corporis machinam jam agebat, ut ſub ſitu erecto perpetuæ lipothymiæ ingruerent, admoto naribus aceto rubi idæi, & taleolis citri ori inditis oppugnandæ. Iis autem hoc medicamentoſo apparatu averſis, pulſus ſuetum ſuum rythmum ſervans vixque ullam celeritatis notam præbens, fere debilis micabat, facilique negotio iterum ad ſenſum nullus, ſæpius per diem maxime in lecto ſedenti novum animi deliquium inducebat, frictionibus, ablui-

tione

tione cum vino rhenano, admotoque naribus aceto, abigendum. Serio ego cogitabam de Variolis imminentibus, quanquam febris pene in integrum abeſſet, eaque propter licet æger, qui hæreditario ex parente vitio ſumma hæmophobia laborabat, ſanguinis penuria non laboraret, VSem haud adminiſtrari poſſe, facile intelligebam. Gratulabar ſimul & mihi, & illi, quod vere haud indicaretur, maxime cum nulla exquiſitior cephalalgia, vomitio nulla, nullus dolor dorſi, nulla præcordiorum anxietas hanc operationem urgeret, neque proinde confluxurarum ſuſpicio eſſet. Exhibebantur potus aquoſus cum ſyr. rub. idæi, decoctum Citri, ſpiritus nitri dulcis, liquor anodynus, elæoſacharum citri, ut remedia analeptica, ſed primo ſtadio Variolarum non minus bene convenientia.

Die tertia, non præter opinionem variolæ, ſed tamen quod vix aliquis medentum facile ex præmiſſis concluſiſſet, confertim puſtulæ exiguæ, depreſſæ in facie prorumpebant, in eryſipelatoſam planitiem ſenſim diffuſæ, vix in apicem aſſurgentes, ſibique invicem implicitæ; talesque in artubus, pectore, dorſo, ſeſe conſpiciendas præbebant. Valde ego perturbabar hoc ſpectaculo, ægro interim obedientiſſimo, cui aliud quodvis exanthema nominabant Parentes, ſeſe ſat bene habere profeſſo, quin & lectione libelli gallici tempus fallere cupienti conſulebam, ut largius aquam ſimplicem mox ſucco citri, mox ſpiritu vitrioli acidulatam, & ſyr. rub. idæi dulcificatam biberet, atque a carnium juſculis abſtineret, avenacea autem & hordeacea interdum ſorbillaret. Potus aquoſi nimis diligenti forte, aliquando etiam nimis forſan frigidi ingurgitatione, *3. dies.*

tione, aut morbi genio accidebat, ut circa veſperam alvus liquidior aliquoties dejiceret. Diarrhœam hoc morbi tempore minus convenire ratus juſcula avenæ & alia potulenta tepida ſuadebam, miſſis acidulatis, frigidis, ac pulverem abſorbentem identidem interponebam, cumque nihilominus ſedes numeroſiores perdurarent, & retroceſſionem exanthematum minarentur, ſimulque æger nimis ſenſibilis ob cauſam nullius momenti iracundia commotus fuiſſet, anodynum lene ipſi propinare haud dubitabam.

4. dies. Nocte inſequente per aliquot horas placide dormiverat, ſilensque die 4. diarrhœa permittebat tandem, ut ad leviora acida & ſaponacea iterum tranſiremus quæ cum potu multo lubens aſſumebat.

5. dies. Satis bene die quinto, ignaris illius diſcriminis quod ceruici optimi Juvenis futuris diebus, ſeſe manifeſtaturum, imminebat, omnia procedere videbantur; mihi vero innumerabiles puſtulæ in facie, artubus, pectore, dorſo, ſub axillis, circa genitalia, latum eryſipelas repræſentantes, minusque ut in votis erat ſeſe elevantes, perpetuum metum incutiebant, quem Agnatis quibusdam diſſimulare nequibam, Parentibus, qui lachrymas coram Ægro cohibere nequiviſſent, id

6. dies. indicare non auſus. Accedebat denſum earum agmen in Oris cavo, quod labia, gingivas, linguam, fauces, undiquaque obſidens, die 6. ardentiſſimo dolore actum deglutitionis difficillimum reddebat, ſalivæ affluentis copia, & muci collecti tenacitate, innumeras moleſtias ſimul pariente. Nocte itaque dieque vix per horulam abeſſe poterat Chirurgus, injectis aſſiduo liquidis emollientibus & lenientibus parvas indu-

cias

cias præſtans. Nihil acidi & acidiuſculi ne quidem in ſyrupis horæorum Æger ferebat, ſolaque decocta avenacea & hordeacea, lac cum aqua miſtum, emulſiones cum ſyrupo blando de althea, quarum libris non ſcrupuli, drachmæque dimidiæ, & integræ, ſed granula ſaltem nitri admiſceri poterant, ſæpe monitus non ſine ſumma doloris exacerbatione cochleatim aſſumebat. Externe ut humectationi omni modo ſatisfieret, circa collum cataplasma emolliens applicabatur. Alvo ſemel, bis, ter, intra 24. horas, (licet anodynum veſpertinum, quando ſuffocationis metus & perpetua mucum exſcreandi neceſſitas minuebantur, haud negligeretur,) ſponte reſpondente, clyſmatis applicatio, quam æger ob ſitus mutationem, externo ardore & dolore per omnia puncta ſuperficiei corporis ſeſe diffundentibus ut plane impoſſibilem querulus deprecabatur, abeſſe poterat. Sub hoc remediorum apparatu per diem 7. 8. & 9. in vſum vocato, *7.8.9. dies.* tumor aliquis in facie, tum & in manibus, inconſtans tamen apparebat, puſtulæ vero ſuppurationem experiri debentes ſeſſiles permanebant, & pelliculam albam latam ſuperficiei vultus quaſi agglutinatam ſaltem referebant.

Decima die mane, quanquam improbo *10. dies.* Chirurgi labore omne os internum ſeſe melius habere incepiſſet, ita ut largiores liquidorum convenientium hauſtus minore multo impedimento æger aſſumeret, pulſus qui toties a me exploratus a morbi principio, hactenus me ſtupente vix ullam celeritatem exhibuerat, ſubito aucto ictuum numero invaleſcebat, & magnus ſimul reddebatur febrique per horas intenſiori anxietas

&

& inquies jungebantur. Variolis omnino pejoribus, quam in filio meo fuerant, ætateque multum provectiore, majus equidem periculum, quod ille ægre effugerat, hic adeſſe, bene intelligebam; ſpem tamen magnam ponebam, ſi ulli locus eſſet, recenti exemplo firmatus, in exhibitione alvum laxantium. Ingerebatur igitur mannæ ſenſim uncia una & dimidia in lacte ſoluta, cumque qui deſiderabatur effectus prompte non inſequeretur, dimidia adhuc addebatur. At cum ardor & febris effectum qui adhuc retardabatur velociorem vellent, in dorſo jacenti operoſiſſima enchireſi applicabatur clyſma emolliens. Dejiciebat ter cum euphoria mirum quantum ex ſpontanea ſententia levatus. Veſperi exhibebatur anodynum, ſimulque emulſio nitrata, jugiter hauriebatur.

11. *dies.* Die undecimo poſteaquam tempore antemeridiano & pomeridiano ad 5. usque horam mitius habuiſſet, ſumma febris vis denuo deſæviebat, anxiusque æger memor heſterni leniminis, alvum laxans denuo, ſed concentratius, ob nauſeam quam manna induxerat, efflagitabat. Sumebat uncias duas aquæ laxativæ Viennenſis, alvusque ter aperiebatur fere cum æquali fructu, potabat ſuam emulſionem nitratam cum potu Thée, & aqua ſimplici liberaliter capiebat, ac veſperi anodynum, a quo tamen deſideratam quietem haud obtinebat.

12. *dies.* Duodecimo mane pulſu equidem adhuc paulo concitatiore cum Hirſchbergam ad Ægram vocarer, cujus hiſtoriam ſtatim ſuppeditabo, bona tamen quævis ipſe ſperabat, meque valedicentem & petentem, ut breviter ſummam votorum mihi explicaret, urbano joculo, eam fundari in brevi-

brevitate meæ abſentiæ, dimittebat. Relinquebam conſilium ſtrenue biberet, & ſimulac æſtus major & anxietas recrudeſcerent, clyſma ſibi ſtatim applicari faceret. De ſalute ejus ſollicitus a meridie circa tertiam horam litteras accipiebam humaniſſimas manu matris exaratas, quibus hæc amatiſſimum filium torrem igni ereptum belle habere, meque amiciſſimum ſuum medicum avide expectare nunciabat. Igitur poſtquam Hirſchbergæ ſaluti decumbentis Puellæ nobilis mihi creditæ, cum Ordinario Medico, tum æſtumatiſſimo meo Collega, proſpexiſſem, pernicibus equis deferor in thermas, atque ante fores offendo integram familiam ovantem, mihique cum Matre gratulabunda obviam incedentem. Intro conclave, ſed o bone DEUS! quam longe alia mihi obveniebat rerum facies! Eheu quam apprime calamitoſo huic rerum ſtatui applicari poterant Sydenhamiana verba: [1]) *A quantitate puris ex innumeris iſtis apoſtematibus in ſanguinem rejecti excluſa hominis funeſta ruina aliquot diebus antequam ingruat, facile præviderí poteſt, a Medico, utut belle ſeſe habere æger & ſibi videatur & adſtantibus etiam, in hujus morbi hiſtoria minus exercitatis.* Senſum frigoris interni in pectore perceperat me abſente Æger, eumque ſecutus fuerat major calor, egoque digitum arteriæ in carpo admovens, jam ardentiſſimam febrem offendebam, cum anxietate ſumma, difficili reſpiratione, & palpitatione cordis, capite tamen non turbato, namque mecum colloquebatur & opem meam anxie efflagitabat miſer. Referre nequeo, quanta fuerit animi mei perturbatio, quam, licet eam diſſimulare laborabam, territus æger ex vultu meo divinabat. Ap-

1) p. 445.

C plica-

plicatum fuerat clyſma ſine multo effectu, cum potionem laxativam proponerem, ſe ſine omni dubio ipſam vomitu redditurum ajebat, dabam igitur ſal de ſeignette, aqua dilatum commodum purgans antiphlogiſticum ad drachmam unam, ſingulis dimidiis horis; movebatur alvus cum tertiam doſin aſſumſiſſet largiter, verum nihilominus æger aliena loqui, iraſci, ſeſeque jactare incipiebat, ac peregre ſe abiturum ajebat. Parvo interjecto tempore ferociter delirabat, & bibere amplius detrectebat, æſtum non amplius ſeſe ferre poſſe clamabat. Prævidebam mœrens, quod imminebat lugubre fatum, terminoſque artis intus acerbe deplorabam, nil habens amplius quod prodeſſe poſſe crederem. Cogitabam de VSe, & quod mirum, mecum de ea cogitarant cum Parentibus ad incitas redactis, Amici Amicæve adſtantes. Ego vero antequam adminiſtraretur iis exponebam, eſſe eam ſupremum remedium, eſſe ſumme neceſſariam, ſuaderi in eo rerum ſtatu a ſummis Medicis, ſed mea ſententia fruſtraneam eam futuram, adeoque ſi mortem, quod ominabar, haud averteret, ut in ipſam mortis culpa haud rejiceretur, enixe petebam. Omnibus mihi annuentibus vena brachii aperiebatur, ſexque fere unciis detractis æger quietior factus, ſibi reddebatur, & quid ſecum ageretur quærebat, mirabaturque fluentem ſuum ſanguinem, quin quod majus eſt, permittebat, & jubebat, ut largior copia detraheretur. Qui lectum circumſtabant omnes mecum præſentiſſimum Dei auxilium collaudabant, ſed eheu! tranſitorium erat gaudium noſtrum! Vix obligatum erat vulnuſculum, cum ferox delirium denuo ingraveſceret, duabusque forte horis elapſis inter ſum-

mos

mos angores illi junctos, omnibus ſuis deſideratiſſimus juvenis moriebatur. Ego immani animi ægritudine eram perculſus, ſed ad deſperationem usque affligebantur cum decrepita avia, a dulciſſimæ ſpei culmine ad abyſſum dolorum dejectiſſimi Parentes, vix ullo ſolamini locum relinquentes, quod ipſi moeſtiſſimi agnati cum advocato Theologo ſuppeditare laborabant. Inter gemitus & ejulatus expreſſos in ipſorum vultibus laceratorum cordium angores velamine tegere, quam penicilli artificio ſiſtere maluiſſet aliquis Timanthes, neque ego idoneo & ſatis ſignificante verborum valore inſtruor, ut eos deſcribam.

§. 6.

Nobilis 15. annorum Virgo, nondum menſtruata diarrhœa laborare ſine febre incipiebat, flatubus magis quam doloribus ſtipata. Cum Medicus diætæ vitium accuſaret, præſcripſerat animam ſic dictam rhei, identidem capiendam, juſtumque in victu regimen injunxerat. Elapſum erat durante uſu nycthymeron, diarrhœa nihilo minus perſeverante, quare is continuationem remedii ſuadebat. Circa veſperam ſecundæ diei ego abſens certior de hoc morbo reddebar, cumque ſatis numeroſæ dejectiones fuiſſent, ægraque tenellula valde debilis eſſet reddita, non dubitabam præſcribere idoneam doſin theriacæ andromachi, circa noctem capiendam, de variolis, ut nil diſſimulem, in ejusmodi rerum ſtatu haud cogitans. Verum neſcio ob quam cauſam hoc remedium negligebatur, & pulvilli temperantes ſic dicti exhibebantur. *Tertia die* febris ſigna in pulſu ſeſe manifeſtabant, ægraque quæ de capitis doloroſa gravitate antea conqueſta fuerat, ſubito vehentiſſimas experiebatur convulſio- *Hiſtoria III.*

nes. Iis tandem conquieſcentibus contra ſpem omnium, non ſaltem ſibi haud reddebatur, ſed jacebat ſine omni ſenſu per multas horas, eaque propter Medicus ordinarius ſinapiſmos ſuris optimo conſilio applicari fecerat. Cum tamen ad ſe non rediret, *quarta die* morbi mane ego in auxilium vocabar. Magno meo dolore, ſplendidiſſimæ Familiæ deditiſſimus ipſam offendebam quaſi apoplecticam; aderat ſpaſmus oris cynicus, oculos neſcio quid meticuloſi habentes, & quaſi in morte natitantes, pupillasque ut in amauroſi, valde dilatatas videbam; lingua ſubinde balbutiebat, dum alta & concitata voce aures fatigabantur; reſpiratio difficilis animadvertebatur, lotium ſine ſenſu profluebat, vultus denique omnis periculoſiſſimum rerum ſtatum intuenti medico prodebat. Operæ pretium erat meminiſſe Variolarum, quæ per totam vrbem & confinia ejus epidemice ſæviebant. Omnia pro viribus expendens ſi illæ ante fores eſſent, credebam aut puſtulas nimis firmam jam in cerebro & involucris ejus fixiſſe ſedem, aut dum pulſus debilis licet celer micabat, vires vitæ earum materiei ad ambitum corporis protrudendæ minus ſufficere. Sinapismos ergo pro præſtando juvamine, ſi præſtari poterat humana arte, invalidos habens, ſtatim applicari faciebam emplaſtra veſicatoria ſuris ambabus, & nuchæ. Aſſidebam lectulo anxius & fidelis ſpectator, an aliqualem abiturientis judicatæ, neceſſariis ſuis chariſſimæ, omnibus amabilis habitæ, optimæque indolis Puellæ in vitam reditum, medicis oculis e longinquo uſurparem. At quia ſat diu idem permanebat triſtis hic rerum ſtatus, & nimis mature ad occaſum vergentem in flore juventutis conſtitutam ægram con-

tueri mihi videbar, miſereſcens ipſe evolabam in pharmacopolium, recentia parari emplaſtra veſicatoria faciebam, pulvere cantharidum vt adhuc efficaciora eſſent, liberaliter conſpergenda. Applicabantur illa mea manu, acriter aceto perfrictis ſuris, & nuchæ. Injungebam ſimul, ut potus diluentes & cardiaci copioſius inſtillarentur, hianti ori, id quod tamen ægre perficiebatur, rebusque meis ut exiſtimatum bene geſtis, abitum iterum ad meos, & thermas parabam. *Quinta die* mane feſtinante curſu ad me delatus triſtis nuncius referebat, jacere adhuc miſeram Puellam ut *jacuerat* antea, ſine ſenſu, ſine loquela, noctęque elapſa præſentaneum fatum imminere viſum fuiſſe gementibus parentibus & omnibus adſtantibus, petebatque ſimul, vt brevi morituræ ultima vice celer adeſſem. Iter facienti & ægritudinem omnem meditanti in mentem veniebat camphora cum nitro: Illa ergo annuente Medico ordinario præſcribebatur in pulvere qui ſyrupo aliquo analeptico exceptus ingerebatur. Binis elapſis horis altera doſis offerebatur, hæc autem dum ori ægræ renuentis intrudebatur ipſa verſo ad latus capite, unico ſono articulato guſtus abominationem, eoque ipſo ſenſum ſibi redeuntem eloquebatur: Centies ego poſtquam per 54. horas quaſi ſemimortua jacuerat, redeunti ad nos viventes gratulabundum ſalve animo acclamabam, lætabarque impenſe, dum poſt tertiam & quartam doſin, prorumpentibus ſenſim optimæ notæ raris, & magnis variolis, in totum ſibi reddebatur. Nulla fere arte deinde opus erat, variolæ quippe manantibus ulceribus quæ cantharides paraverant, quæque nullo modo conſolidari volebam, per totum morbi decurſum,

 hinc

hinc inde ſaltem in facie & reliquo corpore conſpiciebantur. Sub debito regimine & uſu diluentium matureſcentes ſtadia ſua benigniter abſolvebant, febre ſecunda vix animadvertenda. Difficulter autem exſiccabantur in brachiis & cruribus Variolæ, ulceroſa loca licet minoris ambitus relinquentes, & latentem malitiam hac ratione prodentes. Hæc tamen lacteæ diætæ, aut ſaltem vegetabili, applicato oleo myrrhæ per deliquium, datisque per intervalla alvum laxantibus & his interpoſitis floribus ſulphuris myrrhatis auſcultabant, Aegra ſolito diutius de magna virium debilitate conqueſta, tandem cum ſanitate in gratiam redeunte.

§. 7

Hiſtoria IV.

Soror modo deſcriptæ Ægræ natu major, virtutibus ornatiſſima & digniſſima nobili genere, ex quo prodierat 21. annorum hactenus bene valens tenerioris conſtitutionis Virgo, cum a longe lateque graſſato morbo, jamque in propriam familiam ſævire incipiente, & ſibi metuendi rationem juſtam haberet, facile permittebat, ut plethora ejus VSe prophylactica minueretur. Annuebat etiam facilis meis conſiliis, & aliquamdiu diæta tenui & vegetabili maximam partem utens, tincturam Vitriolicam quam Anchoram ſalutis pro Varioloſis ſalutare amabat WALDSCHMIDIUS, pulveres nitratos, taleolos citri ſacharo conſperſos, interdum capiebat. Utcunque animo tranquilla, binas & quod excurrit hebdomadas ita exegerat, cum laſſitudinem tandem artuum præternaturalem, capitisque gravitatem & horripilationes intercurrentes perſentiſceret, pulſu vix a ſueto rythmo naturali recedente. Nolebat eapropter lectulo ſeſe affigere, cum vero ego

ſatius

ſatius haberem, ut ſine æſtuoſo regimine leviter tectum corpus perſpirabile ſervaretur, ſi forte variolarum morbus in propinquo eſſet, monitis meis lubens auſcultabat. Injungebam aſſiduam operam in aſſumtione potulentorum diluentium cujuscunque generis, quibus ſalini pulveris, & tincturæ memoratæ uſus interponebatur.

Secunda dies poſt inquietam noctem præ-greſſam, nulla alia præter enarrata phœnomena exhibebat, quare nil eorum quæ præſcripſeram mutabatur, circa veſperam ſaltem pulſus velocior redditus crebriorem nitratorum adhibitionem poſtulabat, alvus hactenus quavis die ſponte reſponderat.

Tertia die vehementior febris, cephalalgia gravior, & præcipue inſignis præcordiorum anxietas, urgentesque vomituritiones VSis neceſſitatem injungebant, ſanguis igitur detrahebatur ad 10, minimum uncias, qui tenuem ſaltem cruſtam exhibebat, methodus antiphlogiſtica fideliter jugiterque adhibebatur, etiam clyſmate emolliente haud neglecto.

Quarta die prodibant Variolæ, earumque eruptio ſymptomatibus omnibus ſenſim miteſcentibus ad conſuetum terminum procedebat. Equidem numerus puſtularum inter cohærentes & confluentes, ſi ita loqui licet, fere mediarum, ſat magnus conſpiciebatur, verum eæ ob magnitudinem ſuam, & elationem, ruboremque lætum quo cinctæ erant, laudem merebantur. Nihilominus tamen & lingua & cavum oris, & faucium iſthmus undiquaque iisdem obſidebatur, ita ut doloroſus ardor quem inferebant, deglutitionis negotium ſimul ſumme difficile redderet. Injectionibus lenientibus & emollientibus cum ſyrupo

de althea & cydoniorum mucilagine his malis obviam ibatur, lac & aqua pro potu ordinario nec non emulſiones papaveraceæ, leniter nitratæ, renuenti ob doloris exacerbationem iugiter offerebantur, veſperi dabatur laudanum, & quotidie applicabatur emolliens clyſter. *Die octavo* tumor faciei deſideratus apparebat, proximeque a facie deinde intumeſcebant manus & pedes.

Nono die poſt 5. veſpertinam ardori partium externarum valde ſenſibili jungebatur febrilis pulſus, cui tamen cum os internum mitius haberet, largiores doſes nitri in emulſione cum ſyr. diacodii opponi poterant, hæque cum clyſmate lenimen manifeſtum afferebant.

Decimo, & undecimo die præcipue pomeridiano tempore cum præcordiorum anguſtia violentior reddebatur febris, in adultam noctem exacerbata, & ſomnum vel nullum indulgens, vel turbulentum & phantasmatibus horridis interruptum permittens, quæ lachrymas ſubito evigilanti ægræ, & neſcio quid mali metuenti exprimebat. Periculum feceramus an perſciſſio Variolarum maturarum, vel acu vel tenui forfice, puris citum exitum e corpore promovens, ardori & tenſioni cutis mitigandæ, & febri ipſi infringendæ inſervire potuiſſet. Verum multis difficultatibus hoc negotium laborare deprehendebamus, atque manifeſte puſtulæ inciſæ nova inflammatione ſtipabantur, novoque pure implebantur, & tardius deinde ſiccabantur, ſecus ac antea cogitaveramus. Miſſa igitur hac opera febrem aliis & modo recenſitis armis oppugnabam, & mitigari ſeſe patientem gaudens animadvertebam. Feliciter tunc omnia cedebant ita ut

die

die 12. & 13. puſtulis exareſcere incipientibus redeuntem e longinquo ſanitatem ovantes conſpiceremus. Quæ ut citius appropinquaret, corpus a cocochymia purulenta mature liberare ſtudebam exhibita aqua laxativa viennenſi. Satis bene ægra ſe habere pergebat, niſi quod per 6. continuos dies adhuc circa 5. veſpertinam valde incaleſceret, pulſumque celeriorem minus tamen plenum ſed parvulum exhiberet. Dabatur cum emulſione vel decocto hordei largiore doſi nitrum, atque alternis diebus mane purgans antiphlogiſticum ex tamarindis, cremore tartari, ſale de ſeignette. Ita tandem appetitus redibat, qui tamen ſolis alimentis vegetabilibus modice captis ſedabatur, ſomno etiam placido fruebatur ægra, ita ut refectis viribus, deciduisque cruſtis quæ maxime ſiniſtrum latus faciei latæ & ſpiſſæ obſederant, e lecto ſurgeret variolarum victrix, atque in vicino conclavi decumbentem ſororem inviſeret. Neque nativæ pulchritudini multum deceſſerat, ſenſim enim ſic poſitis tetri morbi exuviis, cutem in facie manubusque glabram magis, nec ita cicatricibus fœdam, ut putaveramus, mirari debebamus.

Omnem ægritudinem nunc ſuperatam eſſe plus quam veroſimile erat, ſed cecineramus tamen 21. morbi die jam elapſo, quis hoc rebus ita ſeſe habentibus crediдiſſet? triumphum ante victoriam. Gliſcens ſub favilla poſt tot ſine ulla intermiſſione exhibita remedia antiphlogiſtica, poſt data aliquoties purgantia hujus generis, nihilominus latuerat ignis, qui 22. die luculenter iterum ardere incipiebat. Dolor primo oriebatur tenſivus in occipite cutem quaſi elevando pertundere moliens. Cogitabam aliquam meta-

 ſtaſin

ſtaſin ſubeſſe poſſe, forte in furunculum degeneraturam, eaque propter ut materiem eo vergentem invitarem, fomentum emolliens applicari faciebam, ſimul ſenſui moleſto minuendo par remedium futurum. Hunc dolorem qui dein iterum diſparebat, comitabatur febris vere maligna, magna virium proſtratione, ad debilitates ſyncopticas interdum vergente, anxietate præcordiorum, pulſu celeri & debili ſeſe manifeſtans, ipſaque Ægra puſillanimis & deſperans de ſua ſalute per omnem varioloſi morbi decurſum, quem tamen ſatis gravem & difficilem experta erat, ſeſe multo mitius, ac nunc, habuiſſe, ajebat. Cum nullum prorſus in diæta vitium commiſſum eſſet, cauſa nulla alia novæ hujus febris inveniri poterat, quam reſtitans adhuc in humorum maſſa ſtimulus putridus, quem nemo intelligentium eidem adhuc innidulari miratus eſſet, ſi catharſis repetita in ultimo variolarum ſtudio fuiſſet neglecta. VSem, quam & in declinatione variolarum medici nonnulli collaudant, non admiſerat extenuatum corpus, cum pulſu parvo, celeri licet circa veſperam. Corpore interim rite purgato nihilominus intus malignum adhuc fomitem latitare, non bene concipiebatur. Suadebat tamen ſeria omnium circumſtantiatum conſideratio, ut hoc momentum therapiæ omnis cynoſura conſtitueretur. Ut omnes pori cutanei aperirentur, & ſicco ardori obviam iretur jugis abluitio artuum cum aqua tepida, cui vinum rhenanum admiſtum erat, in auxilium vocabatur, anxietati levandæ, quæ ob pulſus debilitatem phlebotomia quam libenter adminiſtrari feciſſem, impugnari nequibat, crebrum uſum potulentorum diluentium neceſſarium eſſe injungebam. Omnia

vero

vero ita ſeligebantur ut antiputridam virtutem cuſtodirent. Infuſum ſcordii, aqua ſimplex cum pauxillo Vini rhenani, decoctum tamarindorum, dococtum citri cum Spir. Nitri dulc. ſyrupi ſubacidi, convenientia judicabantur pharmaca, quandoque & tincturæ vitriolicæ & ſalini pulveres interponebantur, clyſmatibus emollientibus interdum alvus ſollicitabatur. Atque ſub horum improba adhibitione poſt 7 dierum ſpatium demum eveniebat, ut ſtatus ægræ, quem pro deplorato habebant agnati, & qui mihi ipſi non præter rem valde anceps videbatur, quique etiam Medico ordinario docto & exercitato Viro valde diſplicebat, nihilominus in melius mutaretur, plenaque ſanitas lento pede iterum reverteretur.

§. 8.

Dum adhuc decumbebant ægre binis antecedentibus hiſtoriis deſcriptæ, fraterculus earum nondum annum emenſus puſio, quem ſolliciti de ejus ſalute parentes longius removeri ab ipſarum conſortio fecerant, ne contagium in tenerrima hac ætate hauriret, nihilominus ægrotare incipiebat. Tulerat adhuc per intervalla, mala infantibus lacte adhuc utentibus familiaria, ante paucas hebdomadas vero tuſſi & aſthmate pituitoſo febricula ſtipatis laboraverat, cum qua negotium dentitionis complicatum judicaveramus. Nullus interea dens proruperat, atque, deinde viribus collectis, ad tempus bene ſatis ſeſe habuerat, vere formoſus, & ſuis blanditiis omnium benevolentiam in ſe derivans Puerulus, illibato appetitu, placido ſomno, floridoque vultu & geſticulationibus animi hilaritatem, corporisque ſanitatem profeſſus. Jam ſubito febre & vehementibus convulſionibus adficiebatur, plus terroris *Hiſtoria V.*

róris

roris graves ob rationes mihi incutientibus, quam morbus hic huic ætati familiaris quandoque medicis incutere ſolet. Nempe id ægritudinis genus omni familiæ grave tribus filiis jam funeſtum fuerat, eaque propter cum perterrito Patre (quem ſemper æquam rebus in arduis ſervare mentem toties conſpexeram & miratus eram,) inter bonas, Optima Mater, gemens, ſimulac nervorum diſtentionem conſpiciebat, quartum pro deplorato certiſſime habebat. Deinde etiam paroxyſmus, qui diuturnitate nimia equidem haud formidoloſus erat, gravitate tamen ſua periculum involvebat, dum reſpirationis organis mirum quantum convulſis, ſuffocationem & facie, ut ſtrangulandis eſt, valde inflata, & ex atro rubente colore picta, apoplexiæ acceſſum minabatur, cujus indolis feralem exitum induxiſſet ſine dubio, ſi per momenta diutius afflixiſſet. Nec ego nec amiciſſimus Collega meus nobis in præſcriptione remediorum ſic dictorum antepilepticorum placebamus, ſed cauſas ſollicite rimati tres ſubeſſe poſſe intelligebamus, ſtimulum varioloſum; acidum primarum viarum; & tenſionem gingivarum ab erupturo dente; omnibus igitur ſimul proſpiciendum eſſe ducebamus. Applicabatur clyſma emolliens, exhibebantur potiones ex aquis ſic dictis analepticis, cum nitro abſorbentibus & Syr. papav., tum & oleum amygd. cum ſyr. de alth. atque identidem aliquot guttulæ de liqu. anod. Hoffm. Omnia tamen hæc pharmaca impedire non poterant, quo minus non eadem ſaltem ſed increſcente ſævitia convulſivus paroxyſmus a meridie usque ad 8. veſpertinam novem vicibus recurreret. Vix aliam quam funeſtam cataſtrophen rerum expectabamus

omnes,

omnes, ſed præter ſpem noſtram nono inſultu ingenti cum vitæ diſcrimine finito, poſt debilitatem ſummam relictam ſequebatur ſomnus, pavoribus equidem, ſed nullo vero epileptico paroxyſmo turbatus. Altera die prodibant Variolæ magnæ, raræ, in facie, pectore & artubus, quæ ſi ullæ aliæ regulares dici merebantur, & paucis pro numero earum moleſtiis ſtipatæ, benigniter admodum ſtadia ſua decurrebant.

§. 9.

Supererant in nobiliſſima Familia duæ adhuc lectiſſimæ virgines, quæ quotidie idem fatum expectabant, ſoror ſcilicet natu media ægrarum hiſtoria III. & IV. deſcriptarum, deinde & eximiæ matris earum ſoror unica dilectiſſima. Ambæ animo dejectiſſimæ, & triſtiſſima quævis ſibi ominantes vix nomen tremendum variolarum audire poterant, quin lachrymæ illis oborirentur; id mali genus nempe non minus horribile habebant, ac ſi inſontes ad ferale aliquod ſupplicium propediem rapiendæ eſſent. Indicibili miſericordiæ, amicitiæ, & amoris affectu eas toties taciturnas, nulloque ſolamine erigendas conſpiciebam; quis enim adeo duro de robore ſatus foret Medicus, ut venuſtas, amabiles, ac ingenuæ virtutis & religioſæ pietatis ſtudioſiſſimas puellas, cum diſcrimine vel ægrotantes, vel ægrotaturas, ſine ſincero animi mœrore cerneret! Dum ultra omnem poteſtatem meam locatum credebam, certo abarcere ab iisdem forte jam imminentes variolas, maxime cum in eadem domo degentes mutua dilectione & neceſſitudine motæ, ægrotantes aliquoties viſitaſſent, ſicque contagium facile jam hauſiſſe poſſent, ego cujus ante abitum auxilio ſeſe frui poſſe immerita in *Hiſtoria VI.*

me

me fiducia exoptabant, eo magis ſerio cogitabam, ut mentem anxiam tenui qua polleo facundia obfirmare haud valens, teneriora earum corpora præpararem, & variolas quantum in me eſſet mitiſſimas efficerem. Utebantur ambæ pro potu ordinario aqua ſimplici, ſummam in victu & nimiam forte frugalitatem ſectabantur, a vino prorſus, ab alimentis animalibus maximam partem abſtinentes. Priore earum ob pallorem vultus, pulſum valde debilem, & perpetuum fere extremorum frigus, a VSe prohibita, alteri ob grate pubentes in genis inter lilia roſas, vimque amabilis corculi paulo fortiorem, ſanguinem juſta copia detraxeram. Prior poſtquam ex actis hactenus a me intellexerat, acida ex potioribus eſſe variolarum antidotis, ſuccum citri quem alteri largius ſumendum ad prophylaxin ſuaſeram, multo copioſius me inſcio, ac hæc capiebat. Ambæ vero mixtura ex Tinct. fl. bellid. cum pauco Sp. nitri dulc. aquæ inſtillata bis ter de die utebantur, cui poſterior pulverem nitratum veſpertinum jungebat. Poſtquam per binas hebdomades & ultra ita ſeſe geſſiſſent, mihi eas cum omnibus generoſiſſimis Agnatis impenſe deamanti & veneranti, in mentem veniebat peruvianus Cortex. Perpendebam quippe, per ſummorum Medicorum MEAD, HUXHAM, MONRO, WALL, ROSEN, de HAEN, & aliorum unanimia ſuffragia & experientias ipſum ut gangrænæ, ita febrium malignarum & variolarum talium haberi remedium therapeuticum; quidni igitur & harum prophylacticum pharmacum haberi eum debere, concludebam. Summam voluptatem, & firmam ſpem mihi pariebat hoc ratiocinium, extemplo igitur præſcribebam extractum corticis

bene

bene præparatum, in aquis gratis ſolutum, addito ſyrupo aliquo analeptico, ſuadebamque ut ter, quater, de die cochleare unum ſumerent, id quod ſalutari futuro meo conſilio libenter auſcultantes fideliter præſtabant. Perpetuo ſimul iis inculcabam, ob fibrarum mollem & delicatulam teneritudinem, hoc remedium fructuoſum ipſis eſſe poſſe, ad menſem & ultra continuatum, etiamſi nullus prorſus metui a variolis locus eſſet, quibus tamen ſimul heroica virtute id obviam inceſſurum, & deleterium earum ingenium infractum foret. Amice inter ſe, ut alioquin ſemper, ita & hic conſpirantes, egregiæ prorſus, & optimæ Puellæ, ſemet ipſas ad capiendum nauſeoſum toties ſexui amabili pharmacum alterne hortabantur, priore poſteriorem interim ut fere timore, ita & antidoti adhibitione, vincente. Effluxerant iterum duæ & quod excurrebat ſeptimanæ, cum illa de ſolito maiore laſſitudine artuum, viriumque debilitate, quas anxia & perpetua futurorum meditatio abſumebat, frigore extremorum, capitis calore & gravitate doloroſa, pulſu exiſtente debili, ſine frequentia, conquereretur, qua re & matre ſumme ſollicita, & me monente, lectum ingrediebatur, ad perſpirationem melius movendam & conſervandam. Verum poſt duos dies eum iterum relinquebat, mala omnia mitiora reddita affirmans, ſed illum ſtatim denuo petere cogebatur, reſtitantique in eodem, fere ſine omni pulſu febrili, & ſi inſuperabilem metum auferre potuiſſes, ſine ulla moleſtia, prodibant Variolæ raro elegantiſſimæ faciei nitori parcituræ, admodum paucæ, optimæque notæ, quæ mira prorſus & ſi pene omnibus hominibus ipſis laborandum eſt, omnibus ad

hoc

hoc exemplar optanda placiditate, tempora ſua abſolvebant. Unicum erat incommodum unius tonſillæ tumor, qui loco expectatæ ſuppurationis tamen prorſus diſſipabatur. Innocenti quadam animi elatione tum mihi ipſe plaudere audebam, laudatus ab Ægra & agnatis, qui ſingulari DEI gratia me inveniſſe remedium credebant, adeo manifeſte anti-varioloſum. Verum eheu brevi poſt edocebar, aut caſui hanc felicitatem fuiſſe debitam, aut peculiari corporis idioſyncraſiæ; feſtiva quippe hæc gaudia tanto acriores ærumnæ, tanto acerbiores planctus, cito inſequebantur.

§. 10.

Hiſtoria VII. Nempe lachrymabundus alterius, de qua jam verba feci, nobiliſſimæ virginis, tragicum fatum nunc conſcribere aggredior, tremente atque ſuum officium pene detrectante manu. Utinam has partes in alium quemcunque medentum devolvere mihi liceret! ſed conſtans, & fidelis, & oculatus adſtiti per integros dies, & per maximam vigilatarum noctium partem, inſuperabilium malorum teſtis, neque ulli magis incumbit quam mihi, poſteritati tradere luctuoſiſſimam eorum memoriam. Annum ætatis 27. abſolverat præclaro ſtemmate ſuo digniſſima, gratioſa apud omnes, & neſcio an teneriore & elegantiore corporis fabrica, an cœleſtibus animi dotibus, magis ſui approbationem, amorem, & venerationem unicuivis inſpirans puella, I. B. d. B., cujus quoad mihi innotuit, morboſum vitæ curriculum exactius exarare licebit. Vita ſedentaria, & refrigeratione mollioris ſenſibilioriſque corpuſculi, menſium ſuppreſſionem contraxerat, neglectoque ad tempus hoc valetudinis ſuæ vitio,

cacochy-

cacochymica & cachectica evadere incipiebat, atque quod majus eſt, jam hydropis primordia pedibus valde œdematoſis, experiebatur. Perſcripſerat Vratislaviam ad me labentis ſanitatis notitiam ipſa ægrotantis, quæ eam ut ſuos oculos amabat, Generoſiſſima Soror; egoque abſens vitioſam humorum colluviem partim evacuare, partim gummi-reſinis, ſapone, ſalibus, amarisque pharmacis ſolvere ſtudueram, fere per tres menſes, eo cum fructu, ut pedes detumeſcere inciperent, & reſpiratio liberior eſſet, habitusque corporis externus pauliſper in melius mutaretur. Cum dein Hirſchbergam perveniſſem, offendebam Ægram meam adhuc pallidam, faciemque turgidulam habentem, atque de aliquo tumore circa malleolos, & laſſitudine artuum querentem, pulſumque debilem exhibentem, appetitu & ſomno mediocriter ſe habentibus. Exhibebam mane ſuccos recens preſſos, aliquot herbarum ſaponacearum in juſculo, a meridie bis Elixirium aperitivum Clauderi cum tinctura martis vinoſa, tandem vinum rhenanum limaturæ martis infuſum. Horum remediorum per 6. hebdomadas uſu, toti corpori vigor & alacritas redibat, genæ amœno rubore pingebantur, atque in vultu, quem & Medicus, & Amicus, & Cultor non ſine innocenti voluptate, & intimo amoris ſenſu contueri poteram, omnes Gratiæ ſuum nactæ domicilium mihi videbantur.

In hoc culmine venuſtatis ſanitatisque conſtituta erat, vel ob ſolam virtutum omnis generis culturam, cui omnem ſuam operam gnaviter impendebat, longiſſima vita digniſſima Puella, cum Variolis undique graſſantibus & in eadem domo ubi degebat jam imperitantibus; terrificis

cogitationibus, & ſibi idem jugum ſubeundum fore, ſibi ominarereretur, ſeſeque illi excutiendo imparem futuram, ſæpiuſcule aſſeveraret. Prophylactico ſcopo, & præparandi fine ut jam recenſui antecedente Hiſtoria, ipſi exhibebam, ſecta Vena, poſt acida & acidiuſcula, ac nitrata, Corticis peruviani extractum, & robori fibrarum qualicunque, quod marte recuperaverat, conſervando par futurum, & condimentum antiſepticum, ut putabam, omnibus ejus humoribus elargiturum. Bene quoque & laudabiliter corpore ſeſe habebat inter abditos animi angores, & meticuloſas meditationes, mirum quantum intenſiores redditas, cum Agnati ſui, juvenis optimi, cujus mortem Hiſt. II. deſcripſi funus efferretur, licet monita id haud comitaretur. Optime memini, quam operoſa blandiloquentia, ipſe abſcondito mœrore languens, prorumpentes lachrymulas amiciſſimi cordis teſtes illi reſiccare ſtuduerim, ſed fruſtra. Accidebat paulo poſt, ut forte conclave ingrederetur, in quo decumbebat Ægra Hiſt. IV., atque a variolis ſuppurantibus exſurgens ingratus nidor nares ipſius feriret, quo facto horripulatione & nauſea motis, ſeſe infectam ſtatim judicabat; ſed ne verbulo quidem, nec mihi, nec alicui ex neceſſariis ſuis, juſtam ſuam ſuſpicionem aperiebat, corticis extractum quotidie aſſumere pergens, & interdum quoque citri ſuccum. Effluxerant aliquot dies, eoque tempore cum, quod omnes mirabamur, ſolito majorem animi hilaritatem monſtraret, atque ſaniſſimam ſe profiteretur, nemo noſtrum intus jam latitare deleterium toxicum, brevi ipſam diro mortis genere trucidaturum, exiſtimaſſet. Recte pro maximo infortunio habet Cl. BURGES, [1]) infectam perſonam

1) *c. 3.*

ſonam per totam hebdomadem ad minimum, ignaram eſſe inſtantis periculi, nilque de eo perſentiſcere, ut potius durante hoc tempore, omnia agat quæ facile latitantis morbi vires magis increſcere faciant, neque eum antea innoteſcere donec illa ſub ejus malitia ſuccumbat. Prorſus eadem ratione jam præda certa horridæ ægritudinis, quæ imminebat, in ſuburbanum prædium proficiſcebatur officioſa Puella, vicariam operam in aliquot œconomicis negotiis amatiſſimæ Sorori præſtitura, meque adhuc ſecuro, attamen de ſalute ejus ſemper ſollicito & anxio, redibat adulta veſpera variam cœli inclementiam experta, ſed nihilominus alacris & faceta. Elapſo nycthymero meditabatur iter longius, unoque & dimidio milliari diſtans rus petere ad aliquot dies, & Fratrem nobiliſſimum inviſere in animum induxerat; nocte autem abitum antecedente tenſionem doloroſam in dorſo perſentiſcere cum languore inſueto, incipiebat. Ego horum incommodorum ignarus, veneribus ejus equidem irretitus, ſed neſcio quo ſpiritu divinatore adhuc actus, blande comiterque & enixe petebam, daret hoc meo amori, ut noſtra eſſe pergeret. Illa autem ſe rebus ſuis ſaltem proſpecturam, citoque ſe redituram, tumque in urbe manſuram, ac fatum ſuum eſſe conſtanti animo expectaturam, pollicebatur. Abibat igitur, ſed eheu adverſis avibus, nullis amicis perſuaſionibus, licet alioquin flexili valde & docili animo eſſet, iam vincenda. Altera die ſeſe ex voto habere, ſuccuſſationibus in curru dolore dorſi diſcuſſo, reſcribebat. Verum foede ipſum & nos deceperat in herba latens, & ipſius vitæ inſidias jam ſtruens

 anguis.

anguis. Nocte nimirum inſequente horror, calor, tenſio in dorſo, cephalalgia, nauſea, omnem ſomnum abarcebat. Die ſequente, quæ ultima Octobris erat, quamque pro morbi prima ipſa Ægra ponebat, manifeſta & violenta ardebat febris, omniaque nominata ſymptomata mirum quantum augebantur, nauſea ad vomitiones intenſa: Cum omni conſilio orba, & nullis remediis præter ſuccum citri inſtructa eſſet, hunc cum multa aqua largius ſumebat, forte etiam jam non bene rebus ſuis reſpondens extractum corticis. Nocte inter easdem ærumnas miſere transacta, undique ſe derelictam videns, ſerio cogitabat de maturando reditu in urbem. Linquebat ergo rus, omnibusque agricolis ſubditis, qui fletu & ejulatibus eam comitabantur, edicebat, ſe non amplius redituram. Omnia elementa huic itineri videbantur adverſa; ob turbas belli curru feneſtris deſtituto ſaltem vehi poterat, appenſis coriaceis velis ab aëris injuriis, qui frigidus, nebuloſus, nimboſus, ventoſus, nivoſus, grandinoſus erat, haud ſatis proh dolor! defenſa. Longius quoque tempus impendendum erat, cum vomitiones crebræ, quas taleolis citri ſacharo conſperſis mitigare laboraverat, moram injicerent, neque ingens capitis & dorſi dolor pateretur, ut pet lapidoſam viam equos auriga ad curſum incitaret. Territis nobis quaſi a fulmine, inopinatus nunciabatur adventus. Intrabat noſtrum conclave tremens, frigida, & pallida, nilque magis in votis habebat, quam amictu depoſito feſſum & languens corpus tradere quieti. Ego deſperabundus timebam ſtatim explorare pulſum, auditisque omnibus attente, quæ perpeſſa erat, intus radicatum morbum ab incom-

1. dies.

2. dies.

modis

modis extrinſecus illatis rite diſtinguere deſiderans, ſuadebam, ut potus Thée aliquot vaſcula ſorbillaret, ſicque refocillata in calefacto cubiculo lectum peteret, ſtragulisque leviter ſeſe tegeret, & verum morbi ſui ingenium mihi exhiberet. Poſtquam ergo adamatis ſibi Sororis dilectiſſimæ filiabus, quæ ſua conclavia partim ob aërem frigidiorem nondum reliquerant, partim iisdem firmius adhuc affigebantur, ſuum Ave, & ſimul ultimum Vale dixiſſet, locum aſſignatum ubi decumberet, vacillante greſſu petebat. Credidiſſetis mecum, Lectores optimi, contuiti elegantiſſimam & caſtiſſimam Puellam, intemeratam aliquam & puram ab omni labe hoſtiam, brevi immolandam, ſuo fato obviam incedere. Neque enim facile vel Jephthæ, vel Agamemnonis filia vultu magis ad movendam adſtantibus miſericordiam compoſito, atque lugubri magis inceſſu progreſſa eſt ad altare, quam noſtra ad lectulum ſuum, in quo deplorabilis victima variolarum carbonibus exurenda erat. Vix horam in eo abſumſerat, vixque totum corpus incaleſcere inceperat, en remotis quaſi aulæis evidentior reddebatur tragica morbi ſcena, dum quæ ante fores frigido aëre conſtrictas ſteterunt puſtulæ, laxatis iis, innumerabiles prorſus, & turmatim in conſpectum ſeſe darent. Pulſus quem nunc accuratius explorabam, acutiſſimam febrem adeſſe clamabat, dorſique & capitis & artuum dolores patientiſſima ægra pro intolerabilibus declarabat. Reſpiratio erat anxia & anheloſa. Non ſine ſummo animi mœrore, quem verbis deſcribere nequeo, ſummum vitæ diſcrimen, in qua mihi dilectiſſima Ægra verſabatur, coram contemplabar, atque quanquam ille vivi-

dam & promptam omnium circumſtantiarum penſitationem mihi obtundere & præpedire videretur, faciebat tamen magnitudo malorum, ut eorum cognitioni in anguſtiores cogitationes nunc damnatus ſufficerem, confluentiſſimas variolas oculis uſurpare incipiens. Curationis exitum ſive lætum, ſive funeſtum, ab ea potiſſimum, ſi non in ſolidum ratione pendere, qua æger primis morbi diebus tractatur, edixit & fuſe commonſtravit SYDENHAM.[1]) Hi vero ſine agendis actis eheu! erant elapſi. Prærogativas potiores inſitionis ponit cum aliis ejus Fautoribus BÜRGES[2]) in perſpirationis cutaneæ facili libertate, temperato calore externo ante & poſt operationem præſtanda, & conſervanda, ut magna pars materiei varioloſæ difflari in auras poſſit. In curatione naturalium variolarum magnum momentum ponit Ill. BOERHAAVIUS[3]) in eo, ut clyſmatibus fotubusque laxetur tota cutis, os, œſophagus, inteſtina, ſæpe, corpusque bene tectum ſit, & perſpirabile. In noſtra proh dolor! non antea ſaltem ſed ſub ipſo adeo eruptionis molimine, prorſus ſuppreſſa fuerat a frigido aëre ambiente omnis tranſpiratio. Quamvis igitur bona ſpe pene præciſa, in anteceſſum infauſtum exitum tacitus dolerem, urgebat tamen in tanta mentis meæ perturbatione vel propriæ vitæ tranquillitas, a pretioſa illa vita mihi credita pendens, ut artem quantum poſſem ad extremam potentiam extenderem. Sane & vis vitæ adeo intenſa, & graviſſima ſymptomata in capite, pectore, dorſo, abſolute volebant VSem, obſtare ſaltem minus exercitati Medici duxiſſent Variolas jam comparentes in cute, & præſentem menſium, qui juſto ſuo termino proruperat, fluxum.

1) *p. 462.*

2) *cap. III. & ſeq.*

3) *Aph. 1394.*

fluxum. Mihi vero neutrum horum ſumme neceſſariæ ſanguinis detractioni videbatur obſtare, quominus ea hucusque, quod dolendum erat, neglecta ſine mora nunc in auxilium vocaretur. Nimis rationibus & experientiis evictum eſt, ſi magna febris adfuerit Phlebotomen exanthematum excluſioni non ſaltem non officere ſed potius ſuppetias ferre. [1]) Deinde ſi in particulari inflammatione Pleuritide, gravibus Medicis monitoribus, quos aliquoties cum fructu ſecutus ſum, non obſtante menſium fluxu, vena nihilominus ſecanda eſt, cur in morbo inflammatorio univerſali, Variolis, quas ſi in menſium tempus incidant, vel ſolo hoc nomine malas & ſæpe mortiferas inter alios habet Ill. TISSOT, [2]) a VSe abſtinendum foret, fluentibus catameniis? Aperiebatur igitur ſine trepidatione vena in pede, licet ictum intentans Chirurgus bis antea fruſtra cutem ſaltem vulneraſſet, Ægra pro ſuavitate morum, qua pollebat, nihil offenſa, & venularum ſuarum tenuitati culpam omnem tribuente. Sanguinis minimum decem unciæ emittebantur, menſes autem nihilominus per aliquot dies moderata quantitate fluere pergebant: Pro potu ordinario largiter exhibebatur aqua ſimplex, vel decoctum hordei cum ſucco Citri & ſyr. rub. Idæi, ſimul potionis ex aquis gratis, aceto, BOERHAAVIO [3]) in peſte & variolis laudatiſſimo, nitro & melle, idoneum præbium ſingulis horis offerebatur; ſuris applicabatur fermentum panis, cum aceto forti, ſinapi ſemine contuſo & ſale culinari; atque circa veſperam infundebatur clyſter emolliens. His tamen omnibus in uſum vocatis perdurabat nihilominus vehemens

1) *vide Pechlini Obſ. p. 270. & Hoffm. med. ſyſt. Tom. III. p. 603.*

2) *Inocul. juſtifiée c. 8.*

3) *In Chemia Tom. II.*

 febris,

febris, neque per horulæ quadrantem miſera Ægra ſomnum experiebatur.

dies 3. Mane diei tertiæ, quæ ſecunda Novembr. erat, non variolæ confluentes, ſed confluentiſſimæ, & denſata earum ac conglomerata agmina, pulcherrimum omnium membrorum decenti conformatione Corpus totum infeſtarant. Continuabantur eadem prorſus remedia, jugique eorum uſu, quem ego ſemper præſens amiciſſimus monitor ſumme neceſſarium declarabam, cuique obedientiſſima Patiens, qua erat lenitate, ſeſe lubenter ſubmittebat, evenire videbatur, ut febris miteſceret; nimisque jam amplam & diffuſam futurorum dolorum & infortuniorum ſegetem, nulla amplius augmenta capturam fore, eapropter ſperabam. Sed o bone DEUS! circa veſperam & quæ ſubſequebatur noctem, iterum violentior pulſus longe adhuc uberiorem & prorſus innumerabilem protruſerat. dies 4. Triſtiſſimæ menti adhuc dum hæc ſcribo, obverſatur quaſi vivis coloribus picta tetra peſtilentialium illarum variolarum facies, melius vero & accuratius eas delineare nequeo, quam verbis SYDENHAMI:[1]) *Monſtrabant ſe ſpecie tumoris ſubrubri, atque uniformis, vultum omnem contegentis, eryſipelate quidem denſioris, nullo vero viſibili puſtularum diſcrimine. Reliquum corpus congeries quædam (ceu panni latioris) ex infinitis propemodum puſtulis rubris efferatis, in unam conflatæ variegabant, inter quas ſparſæ veſiculæ quædam ſatis conſpicuæ ambuſtorum ad inſtar ſero limpidiore diſtentæ eminebant.* Nimis eheu ſciebam per Huxhami[2]) aliorumque & propriam experientiam, *ejusmodi exiguæ molis limpidas & aquoſas puſtulas nunquam tendere in ſuppurationem, ſed crudas manere*

1) p. 252.

2) de Variolis p. 36. edit. germ.

manere & liquamine tenui ichoroſo ſeptico repleri, quod reſorptum in ſanguinem tremenda mala ciet, fere ſemper lethali ſcena vitæ hanc tragœdiam terminante. Nondum tamen prorſus amabilis Ægræ nitidi & amœni lineamentorum ductus a ſua dignitate mihi deſciviſſe videbantur & hoc nil obſtante, ea ſub ipſa morboſa deformitate, & pietate religioſa, & mira patientia & blandiſſima mentis lenitate & ſerenitate, vel ſolis placere poterat. Urbano adeo joculo, cum in manuum tenellularum nive, quam obſervanter exoſculatus eram, hinc inde interſtitia parca intenſiſſime rubentibus puſtulis vacua adhuc ſupereſſent, ludens, hic ſaltem reverentiam Amico Medico præſtare ad rabioſam tyrannidem imperioſas variolas, affirmabat. At nec comitate, nec arte ſeria ſeſe cicurare patiebatur immanis earum ſævitia, nam brevi omne manuum dorſum, omnis vola cum digitis, pedes omnes, locaque eorum maxime quibus epiſpaſtica applicata fuerant, totumque collum & ut referebatur, tota reliqui corporis ſuperficies, lugubri ſane ornatu, quem non niſi madentibus oculis adſpicere poteram, varioloſis centifoliis, dicerem ſi liceret millefoliis, conſpergebatur. In remediis nil videbatur mutandum, neque veſperi clyſma omittebatur, febre cui tandem nil amplius deſpumandum & exturbandum ſupererat, aliquantiſper miteſcente.

Quinta die remiſſiore & fere naturali pulſu, omnia pacata erant & tranquilla, atque mediocres valde moleſtias ſeſe perſentire ipſa Ægra aſſeverabat, ita ut niſi ad formandum acerbum præſagium, ſufficientem rationem futura mala prævidens, nactus eſſem, evanida ſpe lactatus, *dies 5.*

 dum

dum ſperare anhelabam, memet ipſum turpiter decepiſſem. Adhibebantur remedia eadem, ſed modicis doſibus, applicabatur clyſma, & ut nocturnæ quieti certius proſpiceretur exhibebatur etiam opium, quod ſecreta quadam vi malignitati adeo variolarum adverſari teſtatus eſt Ill. de HAEN. [1])

1) *Rat. med. Part. II. c. 3. p. 51. 52.*

dies 6. Sexta die mane, antecedente nocte ſeſe proclivem in ſomnum, voti ſui ſeſe compotem fieri potuiſſe narrabat, niſi ardor & dolor oris interni fauciumque, intenſior ad omnia, quæ deglutienda erant, & moleſta quædam ſputandi neceſſitas, quietem interturbaſſent. Deprecari eapropter incipiebat ſuccum citri in potu ordinario, & acetum in potione, multum tamen dabat monitis, ut periculum faceret, an additione ſyruporum demulcentium, ipſius ſtatui morboſo ſalutaris acor obtuſus & involutus minus læderet, aut an ſi ſtatim poſt ſingula præbia aſſumta lene hordei decoctum aut avenaceum juſculum ſuperbiberet, irritationem factam ſtatim poſſet delinire. Atque ſic per totum diem, qua erat flexili docilitate, obedientiſſima, & morbi & remediorum incommoda patienter perferebat: Neque tamen proinde jam conclamata ejus ſalus mitiorem faciem induebat, ſed ut SYDENHAMI [2]) verba mea faciam, *infeliciſſimæ variolæ ſibi invicem implicitæ, quæ hactenus ſe habuerant inſtar veſiculæ rubræ vultum omnem contegentis, nunc inſtar pelliculæ albæ vultui agglutinatæ ſeſe habere incipiebant, ſolitamque ejus ſuperficiem non multum aut nil potius ſuperabant.* Dabatur iterum matura veſpera ex lege methodi laudanum liquidum, quod WERLHOFII [3]) aliorumque Practicorum magni nominis judicio, ſenſum doloris tollens

2) *p. 167.*

3) *de Variolis & Anthracibus p. 97.*

tollens ſimul puſtulas elevat, & neceſſarium partium tumorem promovet. Neque tamen nox tolerabilis ſequebatur, quin ob increſcentem linguæ omniſque oris interni ardentiſſimum dolorem, impoſſibilis reddebatur remediorum vel acidiuſculorum ſaltem deglutitio, ſed potius tantillum eorum tuſſim ferinam concitabat, motu violento dolorem ipſum multum intendentem. Igitur ſolo infuſo Thée & juſculis avenaceis tenuibus tota nocte pro potu ordinario largiter vero ſatis utebatur, licet non ſine magna difficultate & hunc deglutiret: Ego autem ſtragula mea, curis & ſollicitudinibus etiam mihi omnem ſomnum excutientibus, aliquoties relinquens, ærumnarum harum ipſe triſtiſſimus eram teſtis.

Ante auroram diei ſeptimæ, lucentis e longinquo cerei beneficio, videbatur mihi cum puſtularum pellicula vultus in aliquem tumorem aſſurgere, qui licet comes & benignos lineamentorum ductus turpiter immutaret, & omnem formæ elegantiam cute inæqualiter diducta pene aboleret, tamen ſpei meæ dejectiſſimæ aliquantiſper blandiens mihi viſu exoptatiſſimus erat. Oculi ſimul, qui alioquin abditam animi lenitatem & humanitatem, cum cordis humilitate & virginali modeſtia quovis obtutu ſuaviter eloquebantur, jam turgidulis palpebris conniventes, rubebant, ardebant, & affluente copioſius acri & rodente ſero illachrymabant. *dies 7.*

Narium cava undique puſtulis obſeſſa, iisque obturata moleſtam reſpirandi difficultatem inferebant, oreque aperto trahi ſpiritum jubebant. Omnia hæc mala interim leviora ſibi videri, verum labiorum & linguæ & faucium dolorem, & ardorem, rauca voce intolerabilem eſſe, ajebat

miſera.

miſera. Diducto pauliſper ſpathulæ beneficio ore plane innumerabilis multitudo puſtularum, omnem ejus internam ſuperficiem omnia ejus velamenta; gingivas, omnem linguam, omnem faucium iſthmum totam uvulam, obducens conſpiciebatur. Ut cuncta agerentur ſedulo, quæ agi poſſe intelligebam, ante omnia beneficio ſpongiæ aqua tepida lacteque admiſto madidæ, faciem frequenter foveri faciebam. Oculis eodem modo fotis tepidum lac inſtillabatur non ſine quodam lenimine, narium cavis oppilatis ſubinde ſyringa injiciebatur liquor emollientiſſimus, qui mox redibat, mox vero profundius penetrans, ore bonam partem excernebatur. Hoc vero maxime ſibi levamen depoſcebat. Cum de acidis ne cogitari amplius poſſet, eaque decem & ultra horarum abſtinentia, & multo potu aquoſo in ventriculo deleta judicarem, ſubſtituebam pro potu ordinario lac, cum aqua, juſculaque avenacea & hordeacea, præſcribebamque emulſionem lenientiſſimam ex amygdalis & recentibus ſeminibus, ſimulque ſaturatiſſimam, & oleo prægnantiſſimam, cui ſyrupum papaveris & nitrum parca doſi, ne irritaret, adjiciebam. Ad manus etiam erat Syr. de Althea cum mucilagine ſeminum cydoniorum, identidem lambendus. Accedebat perpetua opera Chirurgi, qui decoctum emollientiſſimum cum lacte, urgente neceſſitate ita poſtulante, ſingulis fere bihoriis & interdum adhuc frequentius, injiciebat. Multa prodibat per hanc artem, qua licet moleſta; carere prorſus nequebamus, tuſſi & ſcreatu muci viſcidi copia, quæ in faucibus confluebat. Neque ego ſolari ægram intermittebam, unam hanc eſſe viam teſtatus, qua & puſtularum inſtar

pellis,

pellis, quicquid in aperto ore conſpiciebatur, obtegentium, maturatio juvaretur, & metuenda niſi invigilaremus, ſuffocatio averteretur. Extus toti collo circumvolvebatur emolliens cataplaſma. His omnibus diris ſymtomatibus ſic parumper palliatis, non obſtantibus, tamen pulſus erat ad ſtuporem ſat bonus, nullasque febriles notas exhibebat. Tanto pejor autem erat variolarum ipſarum conditio, quæ ut in facie non laudabiliores reddebantur, ita & in manibus pedibusque depreſſæ manebant, & innumeras ſibi invicem adunatas veſiculas, ſero vel limpidiore, vel rubello refertas ſiſtebant quas non ſine ineffabili animi angore contuebar. Circumſpicienti ſollicite, an nil opis triſti adeo rerum ſtatui ſupereſſet, neceſſario in mentem venire debebat cortex peruvianus, Medicis excellentiſſimis in ſimilibus caſibus laudatus, quem ſpeciatim HUXHAM [1]) in parvulis & aquoſis variolis utilem declarat, ad maturationem promovendam, rem evictam eſſe aſſeverans, quod puris digeſtionem in ulceribus juvet. Cum ob ſaporem ſubadſtringentem, (qui immediato attactu ne quidem oris & faucium puſtulis exacte conveniebat, utpote relaxantia & emollientia unice volentibus) nec in pulvere, nec in decocti largioribus præbiis ob ſumme doloroſam deglutitionem is aſſumi potuiſſet, extractum miſcebam cum leni ſyrupo Capillorum veneris, ſingulisque bihoriis vel trihoriis cochleare exhibebam, ſimulque ſtatim ſuperingerendum poculum emulſionis porrigebam. Circa noctem ad affluxum a faucibus aliquantisper ad inferiora determinandum, clyſma in uſum vocabatur. Non vero audebam opium exhibere, cum incredibilis colluvies lentæ pituitæ, quam perennis irritatio doloroſa alliciebat,

1) *p. 45.*

ciebat, ſæpius repetitas injectiones ſibi depoſceret, vigilemque Chirurgum vellet, qui per noctes dieſque aderat, ſopitæque ægræ valde perniciosa evadere potuiſſet. Quamquam vero improbo labore ita procederetur toto die ſeptimo & inſequente nocte, non ſaltem nil detrahebatur ineffabilibus miſeriis, ſed majora de hora in horam illæ incrementa capiebant. Lenis aquula potus Thée cum mulcente lacte, blandiſſima emulſio, etiam omiſſo nitro, molle hordei decoctum, inſulſum juſculum avenæ, ad parvula cochlearia ſorptum, interdum ægerrime faucium anguſtias tranſibat, ſæpeque ferina tuſſi proritata
dies 8. iterum rejiciebatur. Dum vel triſtiſſima tantarum calamitatum memoria omnem animum meum perturbat, meque deſcriptioni earum exactæ prorſus imparem reddit, liceat mihi eandem petere ab HUXHAMO & SYDENHAMO, atque duplicem tremendam faciem, quæ a muci collecti copia, & a puſtulis pendebat, verbis eorum
1) *p. 172.* ſiſtere. *Materia Ptyaliſmi* inquit SYDENHAM [1]) *viſcida jam facta & tenax Ægro ſuffocationem intentat, potus quem aſſumit in pulmones fere dilabitur, unde cum tuſſi violenta rejicitur, voce eſt rauca, opprimitur undique vi morbi, in hujusmodi agone utplurimum extinguendus. Variolæ* ait
2) *p. 28. 29.* HUXHAM, [2]) *quæ nares infeſtant & fauces, licet pauciores fuerint, multo periculoſiores ſunt, quam millenæ, & iterum millenæ, in locis externi corporis Abſolute inde ſequitur ſummus dolor, & perpetuum impedimentum in deglutitione & reſpiratione, ita ut æger ſæpe ſuffocetur, niſi gargariſmata in vſum vocentur.* Utinam aliud remedium præter gargariſmata, quæ accurate ex eorum præſcriptione adhibebantur, & nocteque

die-

dieque fruſtra injiciebantur, ambo inveniſſent! An vero caſus ejusmodi, qualis præſens erat, lenientiſſimis omnibus moleſtiſſimam & doloroſiſſimam irritationem creantibus, pateretur gargariſmata ex aqua, aceto, melle, oxymelle ſquillitico, ſemine ſinapi, quæ ſuadet HUXHAM?[1]) Sane neutiquam ea convenire exiſtimo, niſi ubi ſimplex adeſt muci viſciditas & tenacitas, hæcque plus urget, quam ipſæ puſtulæ; his vero numeroſiſſimis, & carbonum inſtar ſeſe habentibus, nemo bonus medicus calida & acria facile deſtinaverit. Quis vero talium tenerioris fabricæ Ægræ meæ dilectiſſimæ, emeticum, ex infuſione Croci metallorum, quod nonnunquam ſeſe exhibuiſſe dicit SYDENHAM,[2]) aut quod HUXHAMUS præfert, quodque famæ ſuæ periculo ſeſe adhibuiſſe dicit, Oxymel ſquilliticum, vel infuſum radicis ipecacuantæ porrigere auſus eſſet? Nimis illa mihi chara exiſtebat, quam ut qui delinire ejus ærumnas ex ardentiſſimo voto nequibam, ipſas ſtudio exaſperaſſem, & non dicam ancipiti eventui, ſed certo exitio, vitam illam quam propriæ præferebam, expoſuiſſem. Ipſe SYDENHAM ſuo emetico non fidendum eſſe, ſed aliud adhuc certius deſiderari remedium, ad truculentiſſimum hoc ſymptoma debellandum, ultro profitetur, quod ſolum ac ſuo marte eos fere omnes jugulare dicit, qui confluentibus Variolis die 11. intereunt. Atque HUXHAM licet ſcribat, ſe ſæpe hac via ægrum mortis faucibus eripuiſſe, addit tamen cordatus, aliquando ſe & ægrum & famam ſuam perdidiſſe.[3]) Forte autem veſicatoria collo, pone aures, & aliis locis adhuc debuiſſem applicare, ut ſuadere non dubitat HUXHAM.[4]) Me eadem haud horrere ſi indicentur,

con-

1) p. 53. 54

2) l. c.

3) p. 55.

4) p. 29.

conſtitit ex hiſtoria III. verum eheu! in noſtra, totum collum, & loca pone aures, & totum corpus variolofis Veſicatoriis, ut cantharides irritantibus, jam erant obducta. Anxie quaquaverſum circumſpiciens nil habebam, quam decocta emollientiſſima, mellita cum lacte, quæ injici facerem, cumque ipſe gargariſationis actus, & impoſſibilis, & dolentibus partibus noxius exſtitiſſet, illa ſine multa intermiſſione, blanda Chirurgi manu Ægra ipſa hortante & poſcente, immittebantur. Juncta his perpetua mea, chariſſimæ Ægræ ſatis equidem moleſta, ſed amiciſſima tamen admonitione, ni frequentius biberet, omnia adhuc deteriora fore, impetrabam, ut fauces potubus convenientibus variis, conſtanter humectarentur, parcis quidem, ſed repetitis hauſtubus, & ſorbitionibus. Operoſe ſimul interdum deglutiebatur ſyrupus cum extracto corticis peruviani, diſplicente mihi ut topicum ſubadſtringens, ſed placente, ut univerſale antiſepticum, quod conditio variolarum omnium abſolute poſcebat. Veſperi non negligebatur clyſma, omittebatur autem opium.

dies 9. Nono die, facie aliquantisper tumida, manubusque etiam intumeſcentibus, & pulſu haud febrili perdurabat reliqua miſerabilis ſcena, mihi totus neceſſariis & Amicis adſtantibus luctuoſiſſima; neque tamen, quod dolendum, alia quam hactenus adhibita remedia, ſupererant. Omnia quantitate poſſibili, nec tamen parca, porrigebantur, maxime poſt præmiſſas injectiones, viam quaſi deglutiendis ſternentes. Videbantur interdum puſtulæ in ore maturationi proximæ, & brevi poſituræ pelliculam ſuam a labiis ad profunditatem faucium, quam oculus aſſequebatur,

& ſine dubio per omnem œſophagi tractum ad ventriculum usque, & inteſtina extenſam, (nam & his partibus inhærere variolas nemo ignorat,) videbatur interdum deglutitio per momenta aliquantiſper facilior, ſed breve & evanidum hoc ſolamen erat. Veſperi, ne ulla calamitas deeſſet, adhuc accedebat ſingultus, fere per quadrantem horæ durans, quem ut ſolemus, quando nobis adverſa aliquando e lætiore viſionis puncto contemplamur, potui forte pauliſper frigidiuſculo exhibito tribuebam; ſed hora elapſa redibat fere fortior, miſeramque tot malis ad incitas redactam valde fatigabat, vixque aliter conſiderari volebat, quam ſingultus in peſſimis aphthis, a quo ægri raro reſurgunt. [1]) Ut nil intentatum relinqueretur, parari faciebam molliſſimum decoctum raparum cum melle, ex recentibus, & ſiccatis, & alterutrum quod guſtui minus ingratum foret, electioni liberæ relinquebam. Emollientiſſimum clyſma iterum infundebatur, opio veſpertino omiſſo. At dum ſubit illius triſtiſſima noctis imago, quæ transactum inter indicibilia tormenta diem inſequebatur, extra mè rapior, ponere calamum cogor, planctuque & mœrore prohibitus eam pingere nequeo.

1) *Boerh. aph.* 984. 991.

Succedebat interim ipſi longe terribilior adhuc dies 10., ſummo jam mane infauſtá quævis prædicens. Conquerebatur dilectiſſima Ægra de frigore in ipſis interioribus corporis penetralibus ſedem habente, quod ultra duas horas, ſine ullo horrore extus animadvertendo, ſentiebat, manibus, pedibus, omnibusque corporis externi partibus naturaliter calidis exiſtentibus, pulſuque ut fuerat hactenus, nequaquam febrili. Scripſit HIPPOCRATES *in non intermittentibus* 10. *dies.*

 febri-

febribus, ſi externa quidem frigida ſint, interna vero urantur, & ſitim habeant, lethale. [1]) Neque hoc in peſſimis febribus inflammatoriis in gangrænam vergentibus rarum, atque de hoc externo frigore cum æſtu interno, varia paſſim habentur apud auctores; de contrariis conditionibus eo pauciora invenio in iis, qui ad manus ſunt. Ad hoc interim frigus internum trahi omnino debebunt, quæ habet ALPINUS, [2]) quamvis fere ſaltem de externo loquatur. *Raro contingit*, inquit, *ut quicquam boni corporis frigiditate præſagiamus. Hæc vel in toto corpore, vel in externis partibus obſervatur. Plerumque febribus continuis eſt exitialis.* Inter ſigna vero corruptelæ gangrænoſæ habetur frigus partis affectæ [3]) atque in *Commentario ad aph. Hipp. 39. ſect. IV. Qua corporis parte ineſt calor, aut frigus, ibi morbus eſt*, inquit de GORTER: [4]) *Si quadam in corporis parte nimium ſentiatur frigus, in acutis febribus, illud notat inchoatam inflammationem vel Eryſipelas abiiſſe in ſphacelum ſeu mortificationem, nam motu vitali conſervatur naturalis in parte calor, quo motu extincto in parte ea percipitur frigus, quare in acutis peſſimum eſt ſignum, ſi poſt ardorem internum quædam pars interna refrigeretur.* Porro ſingultum, cum ſenſu quodam frigoris circa præcordia interno, ſphacelationem ventriculi & inteſtinorum denotare, dicit HOFFMANNUS [5]) & alibi inter ſigna tranſitus inflammationis internæ in ſphacelum, internum frigoris ſenſum primo loco ponit. [6]) Hæc & ſimilia trutinans, ægræ meæ deamatæ querelas de perdurante frigore interno audiens, gelidam mortem jam intus habitare, ipſe horrore totus perfuſus intelligebam, dum corpus externum miſere

1) *lib. IV. aph. 48.*

2) *de præſag. Vita & Morte lib. II. c. 14.*

3) *Boerh. aph. 429.*

4) *Med. Hipp.*

5) *Med. Syſt. Tom. III. ſect. I. c. 7. §. 10.*

6) *Sect. I. c. 15. §. 10.*

miſere carbonibus torrebatur. Illa me directo obtutu hiantibus pauliſper oculis adſpiciens, ex prorumpentibus lachrymis, quas cohibere nequibam, conclamatum de ſe eſſe, quod heri jam crediderat, certius colligebat, petebatque ut periculum ſummum in quo verſaretur, haud retinerem. Hærebat faucibus meis vox, atque non niſi balbutiens DEUM eſſe Imperatorem vitæ & necis, medicorum nullum, reſpondebam, illius ergo ſolius auxilio & voluntati totam ſeſe permitteret, ſuaſor eram. Non vero indigebat his monitis, ejus, quæ nunquam hactenus in terram curva, ſed erectiſſima ſemper in cœlos fuerat anima; cupiebat potius, paulo ante morbi ingreſſum uſu S. Euchariſtiæ, meriti Servatoris particeps facta, exſolvi oneroſis adeo vinculis, & abitum ad æterna gaudia parare, exoptabatque lugubri valde officio mihi impoſito, ut preces funderem, & meis ipſi præirem. Non interea ſeponebantur corpori deſtinata pharmaca, & potulenta neceſſaria, cumque hactenus tepidis liquidis parum reficientibus ſæpe uſa eſſet, & præ decocto raparum aliud accommodatum anhelaret, veniebat in mentem lac ebutyratum, quod ante aliquod tempus phthiſi demortuæ dilectiſſimæ meæ Uxori, olim dum confluentibus Variolis ſed regularibus, non lympham tenuem & cauſticam ſed pus continentibus, laborabat, proficuum fuiſſe recordabar, quodque Cel. de HAEN apparatui medicamentoſo pro Variolis inſerere haud dubitavit. [1]) Hoc nunc indicatiſſimum fore intuitu conditionis faucium, & ardoris partium externarum, quem ſenſim magis increſcentem patiebatur miſerrime excruciata Puella, & antiſepticum præſtiturum opinabar. Aſſumebat id inter-

1) *Rat. Med. II. p. 51.*

dum, interdum & emulſiones, & aquoſos potus. A meridie poſt horam quintam ictus pulſuum qui hactenus, quod ſæpe miratus eram, nulla prorſus celeritate ſeſe exceperant, celeriores, & pleniores reddebantur. Injectum fuerat paulo ante Clyſma, dabamus operam, ut nitrum vel in emulſionis vel in lactis ebutyrati largiore copia occultatum ingeri poſſet. Poſt ſeptimam inquietior reddebatur Ægra & pulſum multo citatiorem exhibebat, mente interim præſentiſſima. Præſcribebam Mannam ad uncias duas in emulſione ſolutam, ab alvo mota febris mitigationem ſperans, atque in ſumma deglutitionis difficultate, nauſeanti, hoc pharmacum officioſus Tortor, & Amicus Medicus obtrudebam, & aſſumtionem citam abſolute neceſſariam eſſe, urgebam. Neque ob admirandam & inſolitam patientiam, quam ſibi placentem virtus divina cœlitus juvabat, & inſtaurabat, angelica illa mens contranitebatur. Ego autem in tanta rerum anguſtia ſtabam attonitus, ſemianimis, machinæque quam homini magis ſimilis; exſtimulabar tamen ne in lapidem obrigeſcerem; iterata avocatione ad Ægram quam Hiſtoria IV. deſcripſi; nam in hanc ipſam diem incidebat periculoſior & minacior periodus illius febris, quæ ſuperatis jam variolis exorta fuerat. Diſtractus, feſſus, corpore & animo, & afflictus usque ad mortem, dediſcebam omnem medicinam, neſciebam amplius quo me verterem, deſtituebarque omnibus viribus neceſſariis inſuperabilium calamitatum Spectatori, qualem me vel caſtigandum, atque adverſitatibus immiſſis nihilominus amatum filium, Providentia, vel humiliandum peccatorem Nemeſis divina eſſe juſſerat. Committebam igitur ſecedens in vicinum con-

clave,

clave, tutelam adeo chari mihi Capitis, cum quo lubens miſerias omnes, ſi hoc pretio redimenda fuiſſet exoptatiſſima vita, partitus eſſem, egregio Medico doctiſſimo LUDWIGIO, operationem potiunculæ mannatæ impatienter expectans. Referebat vero ille, vix horula elapſa, imminere Tragœdiæ finem, Ægram agonizare, pulſumque licet celerrimum, omni modo inæqualem, jam intermittere. Effluebant ad fatalem cataſtrophen usque, duæ adhuc, vel tres inter ſummos angores horulæ, tandemque lyſi placida candidiſſima Anima migrabat ad Beatorum ſedes, febre *quæ intra biduum triduumque plerumque necat, interdum vero ad plures dies protrahitur*[1]) tam anguſta temporis intercapedine, eam ex brevi antea, nitidiſſimo nunc peſtilentiſſima lue dehoneſtato domicilio ruditer urgente, et extrudente. Pendebat flebile hoc fatum ſatis quidem prævifum, attamen præter omnem expectationem velociſſime maturatum, ex illa ſine dubio cauſa, quam ſuppeditavit Mead. *Vidi*, inquit, *in quibus pulmo, cerebrum, jecur, & inteſtina, puſtulis tota conſpergerentur. Neque ſane dubito, quin inopinæ iſtæ mortes, quæ aliquando ſub finem hujus morbi, cum nullus omnino metus ſubeſſe videatur, ægrotantes opprimunt, ex profuſa in hanc aut illam partem nobiliorem exanthematum ſanie contingant.*[2]) Forte illam tot ſanioſorum apoſtematum rupturam fientem vel brevi futuram indicaverat matutinum frigus.

1) *Mead Epiſtola ad Freind. Comm. VII.*

2) *de Variolis & Morbillis c. III. p. 30.*

Ita diriſſimo morbi & mortis genere orbi eripiebatur incomparabilis Puella, cujus obitum qui eam noverant, ſerio lugebant omnes. Ita ſplendidiſſima Familia, quæ aliquot annis antea ſimile funus experta erat, orbabatur vero ſuo or-

namento, ſuisque deliciis; ita Sexus fœmineus perdebat eximium virtutum exemplar, in quod labente hoc in deterius ſeculo, intueretur. Ego vero, ó Lectores humani! doleatis oro meas vices! ego miſerrimus omnium, non ſaltem amittebam inæſtimabilem Amicam, ſed eheu! propediem mihi deſponſandam ſumme amabilem viduati thori futuram Sociam, amittebam dulce decus meum, præſentiſſimum, quo nil gratius accidere poterat, vitæ ſuperſtitis ſolamen, atque quaſi alteram, & majorem mei partem. Vix capio, quomodo tantis anxietatibus & ærumnis quas exantlavi, ſupervivere potuerim, qui hac irreparabili jactura facta, omnem lucis uſuram, quicquid agam, acerbam & amarulentam, ad hanc diem experior.

§. 11.

Hiſtoria VIII.

Poſtquam res meæ adeo ſiniſtre ceſſerant, poſtquam adeo dulci & magnifica ſpe, quæ ultra omnem expectationem meum animum lactarat, innumeris Medicis infelicior, præceps exciderам, nil magis anhelabam, quam lares meos Vratislaviæ iterum inviſere, amœnamque illam Sudetorum regionem, tranquillitatis meæ alioquin ſedem, relinquere, in qua virentes abietes, & excelſas pinus mihi in funeſtas cupreſſos mutatas mœrens contuebar. Redibam, ſalutataque domo mea, laudataque DEI omnipotentis & miſerentis gratia, quæ durante obſidione eam cum omnibus facultatibus meis, ſalvam eſſe juſſerat iterum vocabar ad Ægros. Graſſatæ etiam in patria mea Urbe hactenus fuerant Variolæ, inviſum mihi & tetrum ſemper futurum morbi genus, ſed mitiorem tyrannidem exercuerant; nondum etiam epidemia ceſſabat, verum benignio-

rem

rem fere ubivis faciem oſtendebat, paucioresque privabat vita. Decumbebant Nobiliſſimi cujusdam Viri cum filia, bini filii, quorum natu major jam 15. annos natus erat, numerusque Variolarum erat ſat magnus. Ut anxio Parenti nil artis intermiſiſſe viderer, præſcribebam omnino potiones, & pulveres, ſed omnes; morbo ſtadia ſua regulariter decurrente, ſalvi evaſiſſent, ſi ſine me aquam ſimplicem largiore copia potaſſent. Neque tamen ſine exceptione, ſemper adeo lætus & exoptatus ſequebatur morbi exitus, ſtatim enim ſat triſte mihi offerebatur ſpectaculum, quod omni arte medica ſeſe in melius mutari haud patiebatur. Mercatoris ſpectabilis filia, valde cohærentibus Variolis laborarat, Medicique ſagacis mihi a teneris amiciſſimi opera feliciter liberata erat. Succedebat altera; ſed hæc confluentibus mulctabatur, quæ hinc inde ſuſpecto violaceo colore magnum metum incutiebant, at ſpiritu vitrioli aquæ potandæ ad gratum acorem inſtillato, cujus beneficio olim ipſe filium meum 6. annorum ſimili morbo adfectum, febreque acuta poſtea demortuum, ægre ſervaveram, ſanabatur. Hac adhuc decumbente, ægrotare incipiebat filius ſex annorum Puer, licet corpore tener, hactenus tamen, poſtquam primis ætatis annis multum ægrotaverat, ſalvus & ſoſpes. Cum idem peritus qui aderat Medicus ex ſymptomatibus & exemplis recentibus ſororum, bonæ notæ variolas haud expectaret, a principio ſtatim invaſionis vitriolica remedia cum largis potulentis, & ſyrupis ſubacidis, generoſis doſibus exhibuerat. Nil vero malitiæ illarum erat detractum. Septima die ego vocabar in auxilium. Immenſus erat puſtularum, confluentiſſimarum, parvu-

 larum

larum, nullibi elevatarum, ſero refertarum, numerus. Non vero exigua ſaltem mole erant adſpectu triſtes, verum & color vel ſaturate purpureus, vel rubor cœruleſcens, vel plumbeus livor, vel fuſca nigredo, facie interim depreſſa, & in nullum tumorem aſſurgente, gangrænam factam, fientem, & futuram, loquebatur. Largiſſime exhibitus fuerat potus vitriolicus, qui ut fauces puſtulis obſeſſas melius tranſiret, liberali additione ſyr. cap. veneris blandior reddebatur. Suadebam ego ut hoc ſervato, adhuc omni hora daretur extractum chinæ in ▽a quadam ſolutum. Id operoſa & afflicta mater noctes atque dies præbebat. Videbantur puſtulæ paſſim ſeſe elevare, videbatur tenue in iis ſerum ſpiſſitudinem aliquam acquirere, ac verti in pus. Sperare incipiebamus omnes, mutationem peſſimarum variolarum in melius, oculis uſurpantes; egoque jam laudabam benedictionem DEI, & parentum triſtiſſimorum fortunas, mei infortunii vivam imaginem ante oculos habens, ſed brevis hæc erat, & caduca voluptas. Die 13. nihilominus moriebatur filius unicus Optimorum Parentum, qui detrimentum hoc Familiæ, quod acerbe lugent, ſibi olim reſtitutum amplius vix gaudebant.

§. 12.

Ex illis hiſtoriis ex mea alia, ex multorum Medentum Praxi patet, ſummam operam ſæpe non poſſe

Enarratis fideliter ut decet his Hiſtoriis, id me impetraviſſe confido quod volebam. Nempe commonſtrare luculenter in animo habebam, dari eheu! Variolas, ſuo ingenio ita comparatas, ut ars omnis poſſibilis ad leges medendi ſummorum virorum directa cavere nequeat, ne vel in ſummum periculum Ægros adducant, vel prorſus vita privent. Nullis coloribus adſcititiis, a vera rerum & naturali facie alienis, pinxi meas imagi-

imagines; nulla hyberbolica & figurata dictione ſum uſus, quanquam vehemens amicitiæ, amoris & triſtitiæ affectus in calamum mihi paſſim dictaverit verba, a quibus in chartam conjiciendis mihi temperare nequivi. Sed idem hic affectus, etſi Lectores nec inſtruit, nec convincit, tamen documentum ſimul validum præbebit, nil me neglexiſſe in Ægrorum meorum medela, quod pro virium mearum modulo, ex mea Experientia, & Auctorum optimorum lectione depromptum, ulla ratione rebus eorum ſalutare eſſe poſſe ſtatuebam. A turbulenta Praxi, qualem Vratislaviæ exerceo, circa Sudetos verſans, liber, adfui Ægris a ſummo mane ad adultam noctem; quin media nocte & ante auroram eos, ſi opus erat, viſitavi. Teſtis ſum idoneus, remedia a me præſcripta omnia, & eadem quantitate, quam injunxeram, fuiſſe uſurpata, quod alias ſæpe incuria adſtantium negligitur. Nil peccatum fuit in victu & regimine; ubi inclementia cœli inclinante jam autumno, & hyeme circa loca montana citius ingruente, conclavia calefacta volebat, vernam illis temperiem conciliare molitus ſum, ſeverus & rigoroſus monitor famulitii. Paucis dicam, obſervavi circa hæc omnia præcepta SYDENHAMI, ſecutus ſum conſilia Illuſtr. de HAEN [1]) de diæta, de medicamentis in morbis acutis, de aëre, decubitu, ſeſſione &c. ut ipſe præſens Iudex & rerum actarum agendarumque Moderator, nil habuiſſet, ſpero, quod deſideraſſet. Plenus exiſtimatione Nobiliſſimarum Familiarum, plenus amicitia & amore ſenſi in præcordiis meis urgentiſſimum calcar, ut intenderem omnes animi nervos, vitasque mihi commiſſas ſervarem. Attentiſſimus fui ad omnes circumſtantias,

avertere vitæ periculum, & lethum, in Variolis.

1) *Rat. Med. l. c. 1. 2. 3.*

ſtantias quæ ſæpe aut non ſatis obſervantur, aut prorſus obiter habentur, neque tamen periculum ſummum, vel flebile fatum potui avertere. Sed præter ægros meos quos amiſi, ingentem numerum aliorum abſtulit atra dies, dum triſtis Epidemia locis montanis gravis, diu perdurabat. Sciens ſcribo, Medicum Thermarum eſſe Virum doctum, lectorem aſſiduum recentiorum ſcriptorum, Practicum ſolertem, methodi antiphlogiſticæ intelligentem, humanum, miſericordem; impedire tamen ſat multa funera nequivit; quamvis interdum calidum regimen nondum vbique abrogatum, bona ejus opera poteſt perdidiſſe. In civitate Hirſchbergenſi ſervati ſunt multi, qui benignis variolis affecti erant, ſervati interdum doctrina Medicorum præcellente, qui malignioribus decumbebant, ſed dum aderam adhuc, etiam multi tumulati ſunt, & poſt abitum meum in urbe, & longe lateque in confiniis ſæviens Epidemia plures trucidavit. Non habent, qui benigne nimis de Variolis ſentiunt, cur ad illas conſtitutiones epidemicas provocent, quæ plurimis ægris pepercerunt; aliæ dantur, numero bene multæ, per varia Secula conſignatæ & graphice deſcriptæ, quæ maximam ſtragem ediderunt, quæque ſubdolum & minax & horribile variolarum ingenium, quod omnia pharmaca eluſit, ita ſiſtunt, ut dubitationi & ambiguitati ne minimus relinquatur locus. Egreſſus ex BOERHAAVII ſchola Ill. de HALLER, inſtitutionum ſui Præceptoris ſatis tenax, interque primos ejus diſcipulos & digniſſimos jure reponendus, tamen Bernæ vidit Epidemiam varioloſam, ad quam omnis methodus antiphlogiſtica ne hilum valebat. [1]) Ego hac bene imbutus, licet invidenda illa felicitas

1) *Opuſc. pathol. obſ.* 44.

citas mihi haud contigerit, audiendi BOERHAAVIUM, neque ſine ſucceſſu eam adhibens, tamen apud ægros malignis variolis cum peſſimis ſymptomatibus laborantes, ſubinde hærentem aquam ſenſi. Vidi puerum 12. annorum unicum filium Optimorum Parentum, qui vitam ejus magno pretio redemiſſent, conſperſum cœruleis & atris variolis, quæ maturos myrtillos exacte referebant, cui brevi moriendum erat. Vidi aliorum Parentum honoratiſſimorum filiam 15. annorum, prolem unicam, puſtulis exiguis violaceis nigris, cum vibicibus quaſi peſtilentialibus interſperſis, fato ſuo fungentem. Vidi Parentum generoſiſſimorum filium primogenitum 3. annorum cum multo potu vitriolico maligniſſimis, ſi ita loqui licet, variolis enectum, & quid intereſt alios varios caſus tragicos, quos obſervavi, enarrare. De ægrorum qui benignas & diſcretas variolas experti ſunt, myriadibus ſanatis neminem audio, cum & delictis Medici & Agnatorum accedentibus eæ ſæpius non necent. Variolæ mali moris, confluentes, & confluentes adultorum allegandæ ſunt, earumque facilis & felix medela a Medico, qui dominium ſibi in hunc morbum eſſe ſuſtinet, & in Rhodo ſaltare novit. Aut perperam Ill. MEAD Variolas vocavit *Veram Peſtem ſui generis*, nullaque in febre incertiora eſſe de vita & morte judicia, quam in hac edixit, perperamque dira Symptomata acris veneni effecta habuit, quale commorſis Serpens africana Hæmorrhois inſevit,[1]) aut merito pro morbo ſontico haberi debent Variolæ, non diſcretæ. Id certum eſt, quo magis procraſtinatur per annos hujus venenoſi morbi acceſſus, eo magis increſcere periculum, ſanitatemque cum vita

1) *de Variolis & Morbillis c. 1. & 2. & 3.*

vita ancipiti valde eventui exponi. Quodſi vero etiam tunc ſucceſſu ſuo in curatione haud deſtitutus fuerit Medicus, quodſi ex magno diſcrimine, in quo verſabatur, aliquem hinc inde ægrum docta ſolertia eripuerit, ſtatuendum tamen adhuc erit, illum, qui mature caverit, ne unquam homo adoleſcens vel adultus in illum incidat, & incidere poſſit, omnino magis laudabilem fore Medicum. Unica methodus quæ peſſimis quibuscunque Variolis poteſt deſtinari, eſt antiphlogiſtica & antiſeptica, quam vere jam tenuit RHAZES, licet elaboratiorem eam fecerint recentiores. Abſit, ut eam parvi faciam, cum quicquid boni præſtiti, hac ſola præſtiterim. Cavendum ſaltem, ne nimia ſit in eam fiducia. Quantum illa valeat, & valere poſſit, iturus per potiora ejus capita, jam ſigillatim & ſtudioſe inquiram.

§. 13.

Prophylaxis Variolarum dubia.

Ne autem aliquid videatur omiſſum, ſicco pede haud præteribo curationem Variolarum ſine Variolis, earumque Prophylaxin, & quando abigi nequeant, redactionem eo, ut mitiores accedant, viſurus breviter, quantum etiam his ſcopis dari queat. In ſtibio & mercurio bene unitis, quæſiviſſe, & inveniſſe ſibi viſum eſſe BOERHAAVIUM, verum antidotum varioloſi veneni, nemo ignorat [1]) Utinam vere inveniſſet, utinam quod dicit in ſuo *Commentario*, adverſarios improbantes hujus ſpecifici uſum non habuiſſet, ut in eo non continuaret, & hanc rem felicioribus indagatoribus relinqueret. Sed ſi ex mente MEADII [2]) ejusmodi ſpecifici inventio per rerum naturam ſit impoſſibilis, de quo argumento jam non diſputo, cadit omnis medela Variola-

1) *aph.* 1392.

2) *cap.* III. *p.* 42.

riolarum ſine Variolis, venenumque nullo antidoto extinguendum, ſine injecto fræno libere aget porro in corpora hominum, ut egit hactenus. Forte autem mitius aget receptum licet corpore, ſi portio ejus eliminaretur, vel totum utcunque enervaretur idonea Prophylaxi. Siſtit ſe primo VS. Hæc cum ſanguine emiſſo aufert partem diffuſi per humores ſtimuli. Nil vero illi dant Medici Edimburgenſes.[1] Pluribus enim eorum quos VS., purgatio, (de qua mox) tenuiſſimaque & refrigerans diæta belliſſime præparaverat, confluentes & malignas variolas contigiſſe memorant. Operæ pretium foret experiri, quid graſſantibus Variolis præſtaret fonticulus, cum in Peſte eum valde proficuum declarent Loimiatri. Fere doleo præ aliis moliminibus quæ valida ſatis habebam, & deinde eheu fruſtranea inveni, me de eodem haud cogitaviſſe. Verum & eum nil præſtitiſſe memorant Medici Edimburgenſes. Vomitum recte mea ſententia in Therapia rejicit DE HAEN,[2] deſunt etiam, licet tali fine adhibita paſſim legantur emetica, certæ & conſtantes experientiæ, quod mitiores reddiderint Variolas data ante morbi ingreſſum, vel ſub ingreſſus initio. *Purgantibus* favet SYDENHAM[3]) reiteratam catharſin ſanguine nondum inquinato ſubſequentes Variolas laudabiles utplurimum, & diſtinctas reddidiſſe dicit. At vero diarrhœas graviſſimas notavit PECHLINUS,[4]) tum ab intempeſtivo remedio, tum ſponte obortas, idque paulo ante morbum, nil tamen imminuta ob hoc ipſum Variolarum vel copia, aut malignitate, quam in tot dejectiones abſumtam, immunitatem a morbo præſtare debuiſſe, merito contenderes. De *Sudori-*

bus

1) *Act. Part. III. c. 2.*

2) *Rat. Med. II. c. 3. vide & Burges c. 9. in fine.*

3) *p. 451.*

4) *lib. II. obſ. 15.*

bus eadem Cl. Viro ſententia eſt, ſique hi calidis cierentur, aut & mitiore via liquida tenuiſſimis particulis orbarentur, veneno omni non excluſo per cribrum cutis, nocitura potius forent ejusmodi conamina. Venio ad *alterantia.* Quis variolas omnes ſi tandem necent, putredine interficientes contuitus non putaret, *acidorum* magnam fore ad deleteriam earum indolem cicurandam potentiam. At non univerſalem fuiſſe variolarum copiam arcendi methodum, quam poſt *Sydenhamum Waldſchmidius* & alii Haſſiæ Medici dilaudarunt, per crebriorem ſpirituum mineralium uſum, ante infectionem, notat Illuſtr. HOFFMANNUS. [1]) Non enim potuit hoc remedium omni etiam diligentia adhibitum extinguere malignitatem in nonnullorum ſanguine, nec variolas numeroſas declinare. Facit cum hoc Celeb. Viro Ill. WERLHOFIUS [2]) *Liquores mineralium* inquit, *præcipue ſulphuris & vitrioli acidos, quibus immenſum quantum hodie aliqui in variolarum curatione tribuunt, utiliſſimos omnino eſſe experientia docet, anchoram autem ſalutis ut Waldſchmidius cum Dolæo putat, pro omnibus Varioloſis, aut Medicinam quæ plane non fallat, in iis reperiri, ſat expertus exiſtimare nequeo.* Quid jam de *Mercurio* dicam? Aſſeruit Cl. BOHNIUS [3]) præſervative datas pilulas laxantes ☿ales mitiores reddidiſſe futuras Variolas. Multum quoque ☿ialibus tribuebat ETTMULLERUS. Solebat etiam Vir Celeb. Guil. Joh. SPIESSIUS Archiater Guelphicus quem eximiæ felicitatis famam in hoc morbo curando adeptum fuiſſe dicit Cl. WERLHOF [4]) præcautionis fine adhibere pilulas ex aloe & mercurio. Deinde etiam notavit MEAD, [5]) mercuriali ſalivatione forte defunctos

1) *Medic. Syſt. Tom. IV. p. 169.*

2) *de Variolis & anthracibus p. 94. in notis.*

3) *diſſ. de ☿io dulc.*

4) *l. c. p. 95.*

5) *c. II. pag. mihi 58.*

functos & purgatos deinde in varioloſam luem incidentes omnes facillime ſalvos evaſiſſe. Obſervarunt autem Auctores *Actorum Edimburg*: [1]) nonnullos qui mercurio curati notabili adhuc tempore æthiope minerali utebantur, (quem tamen valde deprædicavit LOBB) confluentibus petitos eſſe & periiſſe, & natura ſua mercurialia pluribus nociva eſſe debere contendit TISSOT [2]) a quo non diſſentit de Haën. Venio ad *Corticem Chinæ*. Qui de ejus uſu in Therapia Variolarum multas laudes publice propoſuit Ioh. WALL, [3]) fatetur quidem ſibi non conſtare, an hoc remedium præſervationi & præparationi inſerviat, tamen uſu ſuo id hoc fine non carere poſſe. At vero dum de cortice æque ac mercurio monet HUXHAM [4]) quod antidoti gloria condecorati fuerint, ſimul addit: *Vidi exempla quæ me ad aſſenſum pellicerent, valde tamen adhuc impedior, vt hæc pharmaca ſuadeam, vel in illis aliquam fiduciam ponam.* Igitur ex his omnibus quæ hactenus diſputavi, facile puto clarum redditur, nondum eo felicitatis perveniſſe Medicos; ut inſtructos ſeſe credere queant pharmaco prophylactico, venenum varioloſum vel delente prorſus, vel ſaltem vires ejus hebetante, corpusque contra illas muniente, neque habere, cur eapropter erigant criſtas.

1) *Part. III.* §. 2.

2) *Lettre à Mr. de Haën p.* 38.

3) *Philoſoph. Transact. Vol. XLIV. Part. II. No.* 484.

4) *p.* 12.

§. 14.

Therapia antiphlogiſtica in Variolis limitata, & dubia in prima febre

Attamen ſi nullum detur hactenus verum ſpecificum antidotum, ſi veneni corpus ingredientis efficacia non ſtatim retundi queat, ingreſſi tamen & agere incipientis vi opponi cum effectu poterit methodus antiphlogiſtica. Ita ſtatuunt Viri Graves, & inter eos præcipue Ill. de HAEN. Operæ pretium ergo erit limites ejus

ſæpe

ſæpe ſatis arctos, paulo accuratius introſpexiſſe. Ac primo quidem animadvertendum eſt, dari conditiones, quibus obtinentibus, celebrata illa methodus antiphlogiſtica non ſaltem haud proficua, ſed vere damnoſa obſervatur. Scilicet non ſemper Variolarum apparatum ſeu primum illarum ſtadium diatheſis phlogiſtica & febris comitatur, quare & non univerſalis methodo antiphlogiſticæ locus erit, & motu vitali vere languente, pro remediis eum refrænantibus potius excitantia, pro refrigerantibus calefacientia adhiberi debebunt. Non loquor hic de illo ſtatu morbi, quando vires vitæ in plethorico corpore ſaltem ſuffocatæ ſunt, aut quando, ut loquitur MEAD,[1]) e ſpiſſo ſanguine; parcius ſolito in cerebro ſecernuntur ſpiritus animales, & minore vi a corde liquor vitalis propellitur, quo caſu ſanguinis miſſione etiam augeri vires antea oppreſſæ obſervantur. Dum quod idem MEAD innuit, eruptio inſtans naturæ opus eſt, ex ejus ſententia ſanguis non nimis incitandus erit, neque tamen etiam permittendum, ut circulus langueat. Languori autem præſenti minime quadrabit methodus antiphlogiſtica, quæ ſane ut in morbi principio Ægro Hiſt. II. ita per omnem decurſum Ægræ Hiſt. VI. haud conveniebat. Notat HUXHAM[2]) dari ſubjecta, quibus fibræ ſunt admodum molles & laxæ, ſanguis aquoſus tenuis, vultus pallidus, pulſus parvus, debilis, & frequens, tremulus, undoſus, urina cruda, tenuis, aquoſa, calor nullus, ſitis nulla, atque his variolis laboraturis VSem mortem maturare dicit. Ipſe de HAEN[3]) alicubi eleganter monet, Foreſtum, Drelincurtium, omneſque demum Practicos natas veras variolas vidiſſe pluries, citra ulla

1) *c. III. & Huxham p. 25.*

2) *p. 29. 30.*

3) *Rat. Med. II. c. 2. de generatione puris pag. 28.*

ulla febris indicia, ſive tempore contagii, ſive eruptionis, ſive etiam nonnunquam maturationis. Igitur clare patet, ut non omni tempore MORTONI, ita et non omni tempore SYDENHAMI methodum, quæ ſane tota antiphlogiſtica eſt, quadrare. Ipſam methodum BOERHAAVIANAM, quæ eſt correctior SYDENHAMI, uſurpatam exquiſitiſſime in Anglia, Belgio, Germania per indolem morbi, & ſtatum epidemium, eluſam & fruſtra adhibitam fuiſſe, licet etiam ſæpe feliciter adhibitam, affirmat Ill. WERLHOFIVS.[3]) Illam etiam per rerum naturam in multis ægris prodeſſe non poſſe dicit, quando deficiens potius, quem miratur aliquos usquam videre nolle, quam auctus nimium eſt ebullitionis impetus.

3) *p. 89. in not.*

Verum enim vero & tum, quando impetuoſa & vehemens febris cum omnibus ſignis plenitudinis, rarefactionis, & phlogiſticæ diatheſeos ſanguinis adeſt, & methodus antiphlogiſtica apprime indicatur & convenit, neque adhibitioni ejus, ægrorum puerorum & adultiorum moroſitas obſtat, quod crebrius ac aliquis Praxin haud exercens putaret, evenire ſolet, illa tamen vere tantarum virium non eſt, ac habetur ab iis, qui eam maxime collaudant. Magna ſane differentia intercedit inter febrem inflammatoriam qualemcunque, cui hæc methodus deſtinatur, & inter febrem varioloſam, quæ ad inflammatorias refertur, & certis reſpectubus etiam referri debet. Inflammationis cuiusvis ſive particularis ſive univerſalis ingenium abſolvitur ſtagnatione viſcidi phlogiſtici in apicibus arterioſis, & motu circulatorio aucto. Hæc duo ad ejus ideam ſufficiunt, neque opus eſt ulla acrimonia ſtimulante, cum viſcidum phlogiſticum, hærens maxime in

 loco

loco ſenſibili, ſufficiens ſit ſtimulus. In variolis autem manifeſtus adeſt venenoſus ſtimulus febrem creans, & ſtaſes inflammatoriæ in apicibus arterioſis, ſunt demum effectus hujus varioloſæ febris, non cauſa, ut in inflammatione ſimplici. In curatione febris ſimpliciter inflammatoriæ palmaria remedia ſunt VS. et remedia quæ viſcidum phlogiſticum attenuant, totique morbo ejusque cauſis expugnandis ſæpe ſufficiunt. In variolis cauſa inflammationis oppugnari negat, ſed manet, & per totum morbi decurſum agere pergit non obſtante methodo antiphlogiſtica. Sane his, quæ nil aliud ſunt, quam inflammationes parvulæ, ubi ante fores ſunt, ſæpe nihil prorſus detrahit VS. Saltem hoc teſtantur Medici *Edimburgenſes.*[1]) *Quamvis* inquiunt, *VS. in principio Variolarum pluribus in caſibus manifeſto levaret, diſcerni tamen non potuit, an VS. ſive ea inſtitueretur ante febrem varioloſam, ſive poſt manifeſta ejus ſymptomata, quicquam prodeſſet ad variolarum tum naturam determinandam, tum frequentiam.* Summe memorabilis eſt, quæ huc apprime facit, Obſervatio SYDENHAMI.[2]) *Sancte aſſero*, inquit, *inſigniſſimum fere omnium quos mihi unquam videre contigit e confluentium genere morbum, & qui ægram undecimo die jugulavit, juvenculæ ſuperveniſſe, ubi primum a Rhevmatiſmo uſitata illa methodo copioſæ & iteratæ VSis fuerat liberata. Atque hinc mihi primum innotuit Phlebotomiam non perinde atque ego prius arbitrabar, Variolis intra juſtos limites coercendis conducere.* Pergo ad attenuantia, & viſcidum phlogiſticum ſolventia. Scripſit alicubi in *Commentario*, doleo quod jam locum non inveniam, BOERHAAVIUS, omnem febrem imflammatoriam ceſſaturam fore illico,

1) *Act. Part. III.* §. 2.

2) *p.* 451.

illico, ſi ſanguis omnis ſubito poſſet in aquam verti. Neque immerito, nam tunc ceſſaret ſtaſis, ceſſaret rarefactio & circulatio celerior. Sed loco ſanguinis contenta vaſis aqua, aut ſaltem ſanguis aquoſus, non tamen præſervat a febre varioloſa, non a ſtaſi quæ eam adeſſe facit. Ipſo teſtante Ill. de HAEN [1]) ſuſcepto varioloſo miaſmate, motus cordis in chlorotica Virgine ejusque velocitas augentur ita, ut aquoſus pridem muſcoſusque cruor jam phlogiſtica materie ſcateat, miſſusque de vena tenſam mox cruſtam formet, & alibi: In media Chloroſi virus varioloſum pleuriticum cruorem fabricare aſſerit. [2]) Non igitur nimis fidendum erit methodo antiphlogiſticæ, quam ſtimulus varioloſus potentiſſime eludere novit. Sane ita eſt, eludit eam ubivis, & manifeſte eludit, Variolis quæ parvæ phlegmones erant, ſemper ſuppurantibus. Nulla V S., nullum remedium antiphlogiſticum, quod in aliis inflammationibus ſuppurationem toties præcavet, & ut in internis præcaveat, data opera in uſum vocatur, unquam efficiet, ut in Variolis ſuppuratio non fiat, quæ adeo & tunc fit, quando nulla febris præcedit, eaque propter nullam diatheſin phlogiſticam adeſſe credibile foret. Quodſi igitur tam parum valeat methodus antiphlogiſtica ad Variolas, & febrem earum, & earum ſuppurationem, & ſuppurationis ſequelas, nonne eidem hodie inter Medicos fere ubivis receptæ ſæpe applicari mererentur Bœrhaaviana verba: *Vulgata Methodo nemo niſi ſponte ſanatur.*

1) *Rat. Med. II. p. 167.*

2) *II. p. 41.*

§. 15.

Nondum vero ſeſe ſatis clare manifeſtat inſufficiens methodus medendi variolis, dum prima

Therapia limitata & dubia, in

ſecunda febre, quæ vera eſt cauſa necis. ma febris ardet, dum eæ erumpunt, increſcunt, & matureſcunt. Nam ſi ſub moleſtorum ſymptomatum concurſu nil etiam hactenus illatum malitiæ detractum fuerit, æger tamen vivere pergit. Rara namque ſunt Exempla, licet omnino dentur, quando ante diem 9. aut undecimum homo variolis moritur. Conſiderandum igitur reſtat, qua poteſtate inſtruatur ars medica hucusque cognita, ad oppugnandas & avertendas illas variolarum conditiones, quæ his diebus vel ſubſequentibus periculum vitæ, vel ipſam mortem excludunt. Bene vero recordentur Lectores mei, me loqui toto hoc opuſculo de confluentibus.
1) p. 443. Nam ut verba SYDENHAMI [1]) mea faciam, poſt exquiſitiſſimas obſervationes rei cardo in eo vertitur, ut in Varioloſis omnis ſalutis ſpes in exanthematum paucitate reponatur, diſcrimen in eorum multitudine, & prout plura ſunt hæc vel pauciora, aut moritur, aut vivit æger. Licitum mihi erit hoc clariſſimo Viro præeunte, cum nemo adhuc melius modum, quo ad tumulum proxime adducit hic morbus, vel plane necat, deſcribere potuerit, propoſitum meum exequi. Scilicet quælibet puſtula phlegmone eſt primo, dein fit apoſtema; fieri ergo non poteſt, quin febris quædam ſecundaria naſcatur a pure, magisque vel minus exacerbetur, pro ejus exco-
2) p. 444. quendi quantitate, jam in morbi ſtatu. [2]) Atque hæc febris, cum ruina, quam inferre apta eſt, facile prævideri poteſt, (utut præcedentibus diebus belle ſe habeat æger,) ex magno numero puſtularum, vel ex ſola facie undique iis conſperſa, morsque prædici, die 11. vel ſecuturis,
3) p. 445. præ indomita vi febris ſuccedaneæ; [3]) dum ingens illud periculum ab innumeris puſtulis & fe-

bre,

bre, omnem medicam opem reſpuit, & adſper-
natur. [1]) Pus vero illud ex tot apoſtematum 1) *p. 446.*
colluvie reſorptum, non tantum febrem accerſit,
ſed etiam omnem ſanguinis maſſam putredine
ceu veneno quodam inquinat, [2]) cujus copia 2) *p. 448.*
æger ita obruitur, ut ſuccumbere cogatur, niſi ars
medica interceſſerit. [3]) Extinguitur vero tum 3) *p. 450. 690.*
partim a febre, partim a veneno quod ſanguinis
maſſam infecerat. [4]) 4) *p. 691.*

Febris ergo hæc eſt putrida, a particulis
putreſcentibus reſorptis in ſanguinem excluſa,
quarum noxia & naturæ inimica qualitate æger
eodem tempore & peſſima febre & veneno laceſ-
ſitur. [5]) Sic itaque ſe habet ingenium nocen- 5) *p. 693.*
tiſſimæ hujus & generi humano inimiciſſimæ fe-
bris, quam BOERHAAVIUS peſſimæ indolis,
& peſſimis ſymptomatibus ſtipatam eſſe, & ob
delapſum puris varium in diverſas corporis par-
tes diros effectus vixque ſuperabiles producere
dicit, [6]) quam FREINDIUS omnium maxime 6) *aph. 1400.*
putridam & periculi plenam eſſe aſſerit; [7]) quam 7) *Comment. VII.*
vero, quod miror, Ill. de HAEN nullibi data *init.*
opera ſpecialiori conſiderationi ſubjecit. Videa-
mus nunc ordine, & examinemus vim remedio-
rum illorum, quæ hactenus huic febri a ſummis
in arte viris fuere oppoſita.

§. 16.

Limites Purgantium.

Agmen merito ducunt purgantia. Non in-
quiram, an eorum veri uſus notitiam in ſecun-
da Variolarum febre jam habuerit RHAZES.
Notabilia interim ſunt ejus verba: [8]) *Aliquando* 8) *de Variolis & Morbillis: c. 13.*
neceſſe eſt ſolvere alvum in Variolis, tum propter
caliditatis exceſſum, & cephalalgiam, tum ut na-
tura levetur onere, & variolarum materia minua-
tur, quando nempe conjectura aſſequeris, illam eſſe

nimiam. Certum vero eſt, genuinam adhibitionem Purgantium, SYDENHAMO ignoratam, quippe qui non ad febrem, ſed ad alvum opiatis ſuppreſſam ea laudat, [1]) primo docuiſſe MEADIUM [2]) & FREIND naturæ ſecutos ductum, dum videbant interdum conclamatos viſos ægros, fluente alvo ſervatos. Natus inde egregius Commentarius FREINDII, *VII. de purgatione, quam vim habeat in febre putrida, quæ Variolis confluentibus ſupervenit*, cui adjectæ ſunt Meadii & variæ variorum doctiſſimorum Virorum epiſtolæ, inſignem fructum hujus medelæ aſſerentes. Facit & huc Epiſtola FREINDII ad MEADIUM *de Purgantibus in ſecunda Variolarum confluentium febre*, ubi auctoritates veterum & recentiorum Medicorum habet. Favet quoque eidem methodo HUXHAM [3]) atque in Germania noſtra [4]) HEISTERUS, & [5]) de HELWICH Britannorum veſtigia cum Ægrorum emolumento legerunt, neque minus Ill. de HALLER [6]) rata hæc molimina habuit, ut alios taceam. Nulla adeo alia medicina febrem putridam tutius depelli, quam lenioribus catharticis aſſerit MEAD, [7]) ſique teſtimoniis & auctoritatibus aliquis aſſentire nolit, eum in ſole caligare velle dicit. Tandem multis argumentis e natura morbi & Praxi petitis, purgantia non ſaltem laudat Cl. SIMSON, [8]) ſed & eadem Opio alioquin a præſtantiſſimis Medicis, ut brevi videbimus, magni facto, præferenda dicit. En ergo repetitis Experientiis comprobatum ſummæ virtutis remedium, ad debellandam ominoſam & minacem febrem ſecundam Variolarum confluentium! ut fere alio carere poſſe videatur Medicina. Neque enim tot hiſtoriis felicem ſucceſſum docentibus, vel in ſolis ope-

1) *p. 695.*
2) *in Præf. libri de variolis & morbillis.*
3) *in obſerv. de Aëre & morbis epidem. Tom I. p. 36. 37.*
4) *diſſ. de Manna.*
5) *Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. p. 353.*
6) *in Bœrh. meth. diſc. Medicinam p. 923. & Opuſc. pathol. p. 116.*
7) *de Variolis & Morbillis c. III. p. 39. 40. edit. Götting.*
8) *Act. Edimb. Part. V. ſect. II. N. 50.*

operibus Freindianis, fidem derogare aliquis facile auſus fuerit. Credo ego lubens, doleo ſaltem, & impenſe doleo, mihi non ſemper licuiſſe eſſe adeo beato, licet monſtrata a tot Clariſſimis Viris via incedere ad amuſſim haud intermiſerim. Non defuerunt mihi alio tempore optati effectus, quos fuſe non recenſebo; ſufficit quod forſan debuerim ſalutem propriæ dilectiſſimæ Uxoris in confluentiſſimis variolis, clyſmatibus, & lacti ebutyrato, & nitro interpoſito, motæque inde ad lenem diarrhœam alvo. Debeo ſine dubio vitam filii mei, cujus variolas Hiſtoria I. exhibuit, benedictæ Mannæ. Nil vero emolumenti, licet ita videretur, redundavit in egregium juvenem Hiſtoriæ II. a largiore uſu purgantium & repetitæ clyſmatum applicatione. Non potuerunt utraque hæc remedia, licet domarent febrem ſecundam, etiam ad finem tertiæ hebdomadis uſurpata impedire, apud nobiliſſimam Virginem Hiſtoria IV., quo minus tum oriretur nova acuta & valde maligna febris, prægreſſa varioloſa pejor, gravior & periculoſior. Eheu! non conſervarunt pretioſiſſimam vitam futuræ mihi dulciſſimæ ſecundæ conjugis, Hiſt. VII. imo vero febris ſecunda brevi aliquot horarum intervallo ipſam jam trucidaverat, antequam mature ſatis ingeſta potio mannata operationem ſuam poſſet edere. An igitur alioquin ſemper juvant, & me ſaltem, ubi effectus ſalubris mihi ſumme expetitus erat, dereliquerunt purgantia, aliis ipſa feliciter & ex voto uſurpantibus? Non! pacato & compoſito ſim animo! Habet FREINDIUS[1]) adoleſcentulum nobilem ſuis deſideratiſſimum (ut juvenis de quo modo locutus ſum, merito eſt ſuis;) qui 15. die clyſma-

1) *in epiſtola de purgantibus in ſecunda Variolarum confluentium febre pag. 103. edit. Pariſ.*

clyſmatibus & internis purgantibus ſatis adhibitis, nihilominus mortuus eſt, febre ſemper denuo exardeſcente, additque Cl. Vir relationi verba quæ bene notari volo: *Confiteor, id ſemper haud præſtare purgantia, quin aliquando moriantur variolis laborantes.* En limites laudum & præconiorum juſtos! Forſan pluribus ſimilibus caſibus infelicibus FREINDIUS haud fuit deſtitutus, ſed lubentius ægros ſervatos enarramus, quam mortuos. Juvaret tamen legere librum vaſtum & ſpiſſum, *de iis quæ non ſuccedunt*, qualem conſcriptum, alicubi inter deſiderata medica habuit BOERHAAVIUS. Huic caſus illi, qui ſilentio ſupprimuntur, deberent inſeri. In noſtro argumento conſiderari debet, materiam purulentam quæ undique reſorbetur & febrem peſſimæ indolis creat, cum peſſimis ſymptomatibus ſanguini miſceri, miſtam autem & diu motam putreſcere, hinc pro vario delapſu in diverſas corporis partes producere diros vixque ſuperabiles effectus, deliria, phrenitides, anginas, peripneumonias, pleuritides, hepatitidem, dyſenterias &c. &c.: [1]) Si purulenta colluvies in ſanguine non ſit nimia; ſi non ſit nimis acris; ſi fluctuet adhuc in humorum maſſa, ſi nullibi fixam ſedem, depoſita in hanc vel illam partem, occupaverit; ſi ſolidis & viſceribus labem nondum intulerit; tunc evacuatio per alvum lenis, & per intervalla repetita juvare adhuc poteſt. Verum ſi nimius illius colluviei fuerit proventus; ſi illa acrimonia cauſtica & ſeptica peccet; ſi viſceri alicui inniduletur altius, ejusque vel eroſionem vel inflammationem, vel quod pejus eſt, Gangrænam induxerit, tunc manet hæc diſpoſitio, in viſcere læſo, etiamſi omne id purulentum,

1) *Boerh. aph. 1400.*

tum, quod adhuc circulatur, poſſet eximi de corpore, & tamen neceſſitas moriendi adeſt. Ejusmodi autem funeſtam viſcerum læſionem fieri ſæpe omnino, rerum uſus docet, & fieri facile poſſe, liquido poteſt colligi, quando cicatrices fœdas, peſſima ulcera & eroſiones externas ad oſſa usque oculis uſurpamus. Illa enim rodentiſſima materies, quæ cutim exeſt, & profundius ad oſſa ſerpit, multo magis ſubtilem & delicatulam viſcerum fabricam poterit deſtruere.

§. 17.

Sequitur aliud febris putridæ Variolarum remedium, *VS.*, a nonnullis medicis, ſed Anglis potiſſimum, collaudata. Neque tamen ea placuit BOERHAAVIO, [1]) qui eam in corpore ſuppurato, pro ſatis periculoſa declarat. Neque inter Germanos ab HEISTERO & Cl. de HELWICH ex præſcriptione Anglorum purgantia adhibentium fuit in uſum vocata. SYDENHAM tamen, qui aliquot obſervationes circa febrem ſecundariam variolis confluentibus ſupervenientem, nimis ſero quod dolet in vita ſua factas, edidit, quemque imitari BOERHAAVIUS dubitavit, ad incitas redacto ægro, & ex inuſitata ſymptomatum immanitate ſtatim animam acturo extemplo ſanguinem mittendum eſſe præcipit. [2]) Hunc ſine dubio Cives ejus ſecuti ſunt. Idem nempe conſilium ſuppeditat HUXHAM in febre ſuppuratoria, putrida, ſi pulſus fuerit frequens durus & fortis, ſi arteriæ colli pulſent vehementer, ſi reſpiratio ſit anxia, ſi ingens calor, ſi cephalalgia ingens, cum delirio adſit, abſolute neceſſariam VSem declarans. [3]) Obiter quoque dum de febre prima Variolarum agit, non de ſecunda, circa VSem animadver-

VSis.

1) *in Comment. ad aph. 1402.*

2) *p. 694.*

3) *p. 52. edit. germ.*

tendum eſſe dicit de HAEN, [1]) eam quovis Variolarum ſtadio urgente febre, peripneumonia, phrenitide inſtitui debere. Plus vero dederunt MEAD & FREIND purgantibus quam VSi, licet eam non reticuerint. MEAD quippe poſtquam in omnibus hujus morbi generibus convenire dixerat, ut ſub finem die 9. aut decimo alvus moveretur, quia febris ſuperveniens nulla alia medicina tutius depelleretur, & ad FREINDIUM cum emphaſi provocaverat, [2]) tandem demum multis interjectis adjicit: Prodeſt denique hoc tempore VS. ſi vehementior adſit calor, neque fractæ vires huic auxilio interceſſerint. [3]) Equidem alibi VSem ipſam magis urget, dum nullo non morbi die Ægro protinus mittendum eſſe ſanguinem dicit, ſi reſpirationis difficultas urgeat, ſi ſupervenerit phrenitis, aut alia quævis nimii fervoris febrilis ſe prodant indicia. [4]) At paulo ante de VSe prorſus tacens, ita ſcripſerat: [5]) *Plerumque fit ut æger nono aut decimo die a prima puſtularum eruptione cum lingua arida, pulſu vehementiore, & ſpiritu difficiliori incaleſcat. Ubi hæc adſunt, immiſſo ſub veſperam ad alvum ſolvendam clyſtere, poſtero die leni potione cathartica alvum duco.* Multo adhuc evidentius FREINDIUS monſtravit prærogativam, quam præ VSe decrevit purgantibus. Poterat conſcribere Commentarium ſuum VII., & Epiſtolam ſuam, *de VSe quam vim habeat in febre putrida variolarum*, aut ſaltem purgantibus VSem in titulo jungere, ſed & illum & hanc conſcripſit de *ſolis purgantibus* & in Commentarii VII. Hiſtoria II. diſertis verbis ſcribit: *Sanguinem mitti jubet Sydenhamus. Licet vero venam aliquando ſecare plurimum proſit, tamen ab hac regula mihi diſcedendum*

1) *Rat. Med. Part. II. c. 3. p. 54.*

2) *de Variolis & Morbillis C. III. p. 39. 40.*

3) *p. 42.*

4) *in Epiſtola ad Freindium quæ habetur in hujus Comment. VII. pag. 46. edit. Pariſ.*

5) *nempe p. 45.*

dendum putavi, tum quia ex pulſu ſanguinem haud quaquam mittendum eſſe judicabam, tum quia ſæpe alias percepi, vires ex alvo leniter ſubducta minus quam ex miſſo ſanguine imminui, atque etiam neglecta ſanguinis miſſione hanc purgandi viam feliciter poſſe teneri. Deinde in eodem Commentario in epiſtola ad MEADIUM exarata,[1]) nil legitur de VSe, ſed ſaltem ſequentia verba: *Evacuatio alvina non modo ægrotos a mortis diſcrimine circa 9. & 11. diem ſæpenumero liberat, ſed & malorum illorum congeriem, quæ variolis fere ſuccreſcere ſolent, omni alia medicina potentius avertit.* Atque ſi percurrere voluerimus Caſus omnes ſanatorum ægrorum, qui habentur in Commentario VII. FREINDII, videbimus, ſolis purgantibus ſine VSe ſalutem obtentam, nempe in Hiſtoria II., deinde in caſu quem dedit LEWETH, licet ardor eſſet intenſiſſimus cum ſpirandi difficultate & intercurrente delirio, & in Epiſtola Freindii quæ in hoc Commentario habetur, Puer undecennis cum peſſimis ſymptomatibus conflictatus ſolis purgantibus repetitis fuit ſervatus. Poſtea in illa Epiſtola a Commentario ſejuncta, ad Meadium ſcripta, & ſeorſim edita,[2]) *de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre* Hiſt. III. & IV. febre vehementer excandeſcente, pulſu forti & incitato, ægriſque delirantibus; Hiſt. V. febre cum delirio præſente; Hiſt. VI. febre continenter inhærente; Hiſt. VII. febre magna ſumma inquietudine, pulſu valde concitato, fervoreque corporis ſatis vehemente; purgantia uſurpata ſunt, ſine VS. Pauciores in his opuſculis Freindianis leguntur caſus, ubi & vena fuit ſecta, & purgantia ſimul exhibita. Id in Commentario in Meadii

1) p. 49.

2) *habetur in Operibus Pariſ. editis.*

dii epiſtola factum legitur; & in laudata Epiſtola FREINDII a Commentario diverſa Hiſt. VIII. ægro deliranti, ſoporato, convulſo cum magno ardore corporis, cum extrema remedia adhibenda eſſent, & venam ſecavit FREINDIUS & purgantia dedit, aliquid tamen ſaltem auxilii VS. attulit, & venter noctu ſæpe dimiſſus febrem ceſſare fecit cum Ægri ſalute. In ejusdem deinde epiſtolæ Hiſt. II. ubi forte VS. anceps judicabatur, cum purgantibus ſociatæ ſunt cucurbitæ ſcarificatæ, tum & in Hiſt. IX. & X.

Utinam mecum ad hunc diem afflictiſſimi, mihique amiciſſimi Parentes non vidiſſent occumbere filium ſuum, Ægrum, Hiſtoriæ meæ II., non obſtante adhibitione clyſterum & purgantium, ſpem magnam nobis facientium, non obſtante ſecta Vena; quam lætus, quam eloquens evaderem utriusque remedii Encomiaſtes! Utinam in Ægra Hiſtoriæ VII. cujus fatum usque ad meum fatum, & ſi brevi mihi ex hac vita diſcedendum eſt, ob relinquendos ſine Agnatis, ſineque reddita optima, ſolumque Novercæ nomen habitura Matre, in ipſo mortis meæ articulo lugebo, ſummâ morbi vis, omnibus remediis major, veloxque & præceps periculum uno impetu interitum excludens, utrorumque remediorum uſum haud excluſiſſet! Ingeſta erat ut recenſui, potio Mannata, verum ſæviſſima Libitina præveniebat operationem. An in inſtanti VS. debuiſſet inſtitui? licet plus a purgante ſperare jubeant, multi Auctores, quos modo citavi. Sincere fatear! multas noctes inſomnes miſero meo animo, omni ſolamine orbo, ſui ipſius tortori, ſibique hoc omiſſionis crimen apud amantiſſimam Perſonam ſevere exprobranti fecit

hæc

hæc cogitatio. At declinavit a me omnem culpam meque penitus abſolvit ſeria conſideratio, non, quod ineffabili afflictione perculſus paucis horis ante flebilem illam mortem exuerim medicum & fere hominem mutatusque in Marpeſiam Cautem quam nemo in Jus vocat, alii Medico docto peritoque omnia relinquere debuerim, qui artis bene gnarus ſanguinem detrahi juſſiſſet, ſi id e re fore judicaſſet; ſed quod ſi omnem judicii vim qua polleo, illibatiſſimam ſervaſſem, inſtituta forte VS. non prodeſſe amplius potuiſſet ſubito agonizanti, poſt prægreſſa ſymptomata abſolute lethalia, quæ non profuerat juveni agnato Hiſt. II. ſub ſymptomatibus adhuc mitioribus. Fauces inſpiſſatis liquidis ſalivalibus, & muco tenaciſſimo ad ſuffocationem usque obſeſſæ & fartæ; Variolarum peſſimarum innumerabilis copia, qualem dum Praxin exerceo non vidi, quæ inſtar aphthoſæ cruſtæ omnes partes oris interni totumque cum aſpera arteria œſophagum obducebat, hæcque loca omnia inflammaverat, eroſerat, ad gangrænam adduxerat, ominoſoque ſingultu ſuam malitiam declaraverat; frigus illud mortiferum, quod per duas horas ultimo die interiora corporis patiebantur, & cauſæ ſonticæ ac inſuperabiles a quibus illud pendere judicandum erat, omnia hæc ac eadem facies peſſima Variolarum quibus Viſcera infeſtabantur, cum ea quam partes externæ exhibebant, clamabant ſine dubio, altá quaſi voce, abſolute & inevitabiliter moriendum eſſe. Pone VSem ſi pulſus eam concedit, nam debilis & intermittens & ad quietem plenariam vergens omnino contradicit ſub his morbi circumſtantiis inſtitui, & 10. uncias vel plures toti maſſæ eſſe detractas.

Mane-

Manebunt tamen ſat multæ libræ, quæ in corpore ſuperſunt, purulenta, ichoroſa, putrida materie, & veneno varioloſo infectæ. Manebit ergo ſtimulus febrilis, & æque agere in cordis & vaſorum villos perget, ac ante VSem. Anne infrequens eſt, in febribus, quæ non a ſolo lentore copia & rarefactione ſanguinis, ſed ab acri ſingulari, ſæpe non ſatis cognito, aut cujus antidotum ignoratur, excluduntur, ſanguine repetitis etiam vicibus miſſo, nihilominus perdurare circulationem febrilem usque ad mortem. O quam ſæpe hoc in Artis exercitiis dolui! Quando vero VS. in putrida Variolarum febre non tollit vitium hærens in humoribus, neque omne exhaurit iis omnibus intime admiſtum venenum, ſed ejus forte 30. vel quadrageſimam partem (licet ſibi polliceatur SYDENHAMUS [1]) fore ut per copioſam VSem, vitiatæ illæ particulæ, quæ morbi ſunt fomes, confeſtim e ſanguine exulent) multo minus auferet ſolidorum labem, & læſionem, jam viſceribus adfrictam effectusque veneni radicatos. Redeunt hi, ad inflammationes partium internarum nobilium, eroſiones earum, ſuppurationes, decubitus puris & gangrænas. Febris alia etiam acutiſſima, quæ ut morbus princeps hæc conſectaria minatur, intra juſtos limites redigi ſæpe poteſt VSe, & aliis remediis, ita ut illa mature avertantur. Sed hic inflammationes, ſuppurationes &c. in interioribus ut in externa cute jam præſentes febrem peſſimam demum poſt ſe trahunt, quæ niſi cauſas tollas, non adeo facile ſeſe abigi patietur. Cauſæ vero illæ omnino tolli negant, extractoque ſanguine perdurant nihilominus, agere pergunt, & tandem deſtructione viſcerum vitalium necant. Saltem adhuc

1) *pag. 694.*

huc fluctuante in ſinu omnium humorum materie purulenta, & ipſo veneno, plus ſenſim detrahi & evacuari poteſt, ſineque ullo virium decremento, purgantibus, quam VSe. Plus etiam in receſſu habere poſſent in febre putrida Lipothymiæ, quam illæ, quæ alias VSes inſequuntur, ſive prophylacticas, ſive therapevticas.

§. 18.

Multum quoque poſt purgantia & VSem, Præſidii contra febrem ſecundam Variolarum repoſitum crediderunt a longo tempore Celeberrimi Medici in uſu Opiatorum. Adeo magnifice de illis ſenſit SYDENHAMUS, [1]) ut in confluentibus Variolis, & febre putrida, quæ illis ſupervenit, æque ſpecificum Opium laudaverit, quam in intermittentibus Corticem peruvianum. Neque quamvis alioquin in medendi methodo valde ab ejus principiis receſſerit, MORTONUS aliter de Opio ſentit. Nempe qui in eruptione adeo Opiata alexipharmacis nupta commendaverat, [2]) in confluentium declinatione, febre ſynochæ ſpeciem induente, præter alexipharmaca & Veſicatoria, Opiatis, quæ ſpirituum inordinatos & efferatos motus conſopiant curationem perficiendam eſſe dicit. [3]) Hos ut duces ſuos ſecuti videntur, multi alii clari in arte Viri. Plena ſunt Opera WEDELII & MÜLLERI & FREINDII quæ tot ejus & aliorum Hiſtorias Variolarum habent, laudibus & encomiis Opiatorum. BOERHAAVIUS [4]) contra enormes impetus Opio utendum vult. Quando numeroſæ adſunt variolæ, & morbus ad ſummam vim adſcendit, nil fere agi ſine Opiatis, dicit HUXHAM [5]) itaque ea ſemper adhibenda

Opiatorum.

1) *p. 404.*

2) *Cap. VIII. p. 119.*

3) *Cap. X. p. 187. 188.*

4) *aphoriſmo 1402.*

5) *p. 40.*

benda eſſe, ad dolores & febrem, illorumque & hujus exacerbationem præoccupandam, matura verſus veſperam adhibitione, conſulit. [1])

1) *p. 51.*

Eruditiſſimus WERLHOFIUS in cohærentibus, & impenſe confluentibus, ſi quid juvare adhuc poteſt, Opium id remedium eſſe dicit, quo multæ moleſtiæ & pericula feliciter queant averti. [2])

2) *p. 96.*

Tandem Ill. de HAEN licet ſpeciatim de medela febris ſecundæ confluentium, nullibi agat, quod miror, tamen uſum paregoricorum efficere videri dicit, ut funeſta mutatio benignitatis in malignitatem, ſi unquam, rariſſime ſaltem contingat. [3])

3) *Rat. Med. II. Cap. III. p. 52.*

Sufficientia opinor, teſtimonia uſui Opii patrocinantia adduxi, neque pluribus opus. Jam videre intereſt, quid ſibi de ejus virtute pro impetrando febris ſecundæ moderamine, promiſerint ejus Fautores, & eorum Coriphæus præcipue, SYDENHAMUS. Adultis in confluentibus ſi frequenter uſurpentur paregorica medicamenta, inter alia efferam nimis ſanguinis ebullitionem ac proinde phreneſin cohibere, & præcavere dicit [4]) & in ipſa Tractatione *de febre putrida* ad calores moderandos hypnoticum laudat, atque in quibuſdam ægris Orgaſmum ita ſupra modum efferum eſſe ait, ut larga doſi anodyni & ejus repetitione opus ſit. [5])

4) *p. 190. 191. 193. 464.*

5) *p. 692.*

Tanta vero convictione opium ſanguinis fervorem & Orgaſmum inhibere ſtatuit, ut adeo ejus actionem actioni VSis comparet, & utriusque remedii uſum ad eundem ſcopum certius obtinendum, interdum conjunctum, vel ſibi ſubjunctum velit. [6])

6) *p. 695.*

At vero, quam falſa ſit hæc ſententia, quæ opium circulationem refrænare, orgaſmumque & calorem ſanguinis inhibere ſtatuit, cum id potius vere contrarios

effectus

effectus edat, clariſſime commonſtravi libro meo de Opio, ubi ſimul actionem ejus & VSis e diametro ſibi adverſari probavi. De hac differentia etiam integrum caput 39. dedit YOUNG, qui ſimul ſolide aſſeveravit, plerumque tum opium non convenire, quando convenit VS. & contra. Quoties igitur durante febre ſecunda Variolarum confluentium, circulus acceleratus fræno, calorque & orgaſmus inhibitione egent, hos fines nequaquam opio circulum ſua vi intendente, & vere calefaciente impetrari poſſe, facile capitur, quicquid etiam ſibi ab eo polliceantur Viri graves, qui ejus veram actionem haud ſatis perſpexiſſe videntur. Mirum certe eſt, SYDENHAMUM, qui innumeris vicibus hoc remedium & adeo ſæpe ſummo cum fructu uſurpavit, & uſurpari docuit, illam ex adeo multiplici experientia, tamen non cognitam habuiſſe. Adeo bene ſcivit, in febribus acutis nocere opium, & ſaltem prodeſſe in earum declinatione circulo pacatiore reddito, & nihilominus illud acutiſſimæ ſæpe febri ſecundæ variolarum, acutiſſimisque ſymptomatibus ſtipatæ conducere reputavit. Non rejicio ego Opii uſum in Variolis, hic ſaltem loquor de febre ſecunda, atque contra SYDENHAMUM, & omnes Practicos, qui hac in re cum eo faciunt, tantum abeſſe audacter pronuncio, ut opium huic febri conveniat, ut potius, quo mitior febris ſecunda ſit, eo tutiorem uſum opii ad mulcendos dolores haberi debere, convictiſſimus ſtatuam. Certiſſimum eſt, quo gravior ea fuerit, eo citius opium noxas creare, omniaque a febre pendentia ſymptomata pejora reddere, ſine evacuantibus & præmiſſis, & ſubjunctis. Neque etiam

prorſus prætervidere potuit SYDENHAMUS
opium huic febri minus congruere. Namque,
poſtquam ſanguinis & ſpirituum motum inordi-
natiorem, variolarum confluentium apud Adul-
tos comitem indivulſum, anodynorum ſanguinem
& ſpiritus conſopientium uſum maxime ſibi de-
poſcere edixerat, diffiteri non poteſt, ſyrupum
de Meconio laudano liquido, licet ſatis auſpicato
a multis annis exhibito, præferendum eſſe, quia
hoc ipſi viſum ſit *paulo magis calefacere*, ſyru-
1) *p.* 464. pum autem minus. [1]) Quando autem lauda-
num liquidum calefacit, ex ipſa confeſſione SY-
DENHAMI, quomodo ex ejus ſententia inſervi-
re poterit ſanguini ejusque fervori conſopiendo?
Non minus HUXHAM Opiatorum Amicus, va-
riis in locis ita ſe gerit, ut inſecuritatem opiato-
rum in illa febre tacite profiteatur. Scilicet ea
laudat ad lenimen dolorum & febris inflammato-
riæ in ſumma morbi ἀγμῇ, ſyrupumque diaco-
2) *p.* 51. dii non ſufficere dicit, niſi apud Infantes, [2]) in-
terim tamen ſi calor febrilis fuerit magnus, ano-
3) *p.* 52. dyno aliquid acidiuſculi addi vult. [3]) Itaque
calefacientem vim Opii agnoſcit, & ejus immi-
nutionem deſiderat. Atque antea etiam Opium
& opiata addiderat medicamentis variis acribus,
& calefacientibus, quæ ex ejus præcepto in Va-
riolis adhibenda ſunt, quando pulſus debilis eſt,
4) *p.* 57. & urina aquoſa ac tenuis. [4]) Fluit ergo exin-
de, quando pulſus eſt celer & fortis, ac urina
flammea, ſeu magna febris, ut alia calefacientia,
ita & Opium locum non habere. Quis non vi-
det phrenitidem, peripneumoniam, anginam
ejus ſæpe ſumme ſontica ſymptomata, aut ſi non-
dum adfuerint invitari, aut jam præſentia opia-
tis intendi, ægrumque in extremum vitæ peri-

culum

culum conjici. Non minus ægrotans ab uſu eorum abſtinere debebit, ubi ſub finem morbi ex pituita nimis viſcida ſtrangulatio in faucibus acceſſerit, ut egregie monet MEAD,[1]) quod non raro accidere ſolet. Idem animadvertit HUXHAM[2]) magna cautione opium tum dandum eſſe, aut ipſi Gummi ammoniacum vel oxymel ſquill. addendum ſuadens, quod utrumque tamen febre & angina inflammatoria aut peripneumonia præſente, non quadrat, neque tum acerrimum oxymel ſquilliticum æque convenire putaverim, ac oxymel ſimplex. Egi de hoc argumento fuſius, minusque aptum ſed nocivum potius remedium opium eſſe in febre ſecunda Variolarum, niſi evacuantia ſimul uſurpentur, luculenter probavi ſect. mea II. de Opio. Provocavi ibi ſimul ad egregia monita Cl. SIMSON,[3]) qui Opium febrem ſecundam Variolarum non minuere, ut putat SYDENHAM, ſed intendere affirmat, cum omnibus ejus ſequelis. Provocavi quoque ad præcepta Cel. YOUNG[4]) qui ubi vis vitæ deficit Opiata in Variolis admittit & laudat, abſolute autem nociva declarat quando circulus celer eſt & fortis, quando humores omnes expanſi ſunt, & plenitudo eorum peccat, ac corpus colluvie purulenta ſcatet, tunc enim evacuantia potius ſalubria declarat. Ablego Lectores meos ad binos hos Auctores, qui vel ſoli intimæ eorum convictioni ſufficient, minus recte Opium haberi pro remedio febris ſecundæ Variolarum.

1) *p. 34. edit. Götting.*

2) *p. 40.*

3) *Act. Edimb. Tom. V. Part. II. No. 50.*

4) *c. 35.*

§. 19.

Veſicantium.

Accedo ad Veſicantia, quæ dum valetudini Ægrotantium minus ſecunda hæc febris ſævit, ad eam mitigandam, & maxime ad ſymptomata, quibus ſtipatur, impugnanda applicare ſolent Medici

celeberrimi, & Angli præcipue. [1]) FREINDIUS in febribus acutis tutum maxime atque expeditum auxilium præſtare veſicantia ſcribit, ſpeciatim autem in Variolis, morbillis, &c. licet ſanguis ardentius æſtuet, incitatiusque feratur, hoc tamen remedii genus haud dubitanter, neque infeliciter adhiberi contendit. [2]) Ego multum peccari ſub hiſce circumſtantiis veſicatoriorum applicatione convictus credo, optaremque ſine vanitate valde, ut aliquis medentum, eadem methodo qua ego Opii uſum ſalubrem & noxium ex ſolidis & fallere neſciis principiis adſtruere laboravi, Veſicatoriorum uſum & abuſum, in commoda Praxeos cultioris, adſtrueret. Id certum eſt, cantharidibus ineſſe ſal acre & cauſticum, partem cui applicatur inflammans, aliquando ad gangrænam usque, ut antiquiore tempore DIOSCORIDES, [3]) & recentiore ætate HOFFMANNUS [4]) eas eapropter inter formalia venena referre non dubitaverit. Deinde non minus conſtat, ſal hoc etiamſi immediato contactu ſaltem agat in partem aliquam externam, ſeſe altius inſinuare in corpus, id quod toties applicationi externæ ſuperveniens ſitis ingens, cum linguæ ariditate, ſtranguria, & interdum mictus cruentus, teſtatum faciunt. Porro ex actione ſtimulorum, (inter quos principem locum obtinere Veſicantia BAGLIVUS [5]) merito affirmat,) a BELLINO explicata, manifeſtum eſt, ſtimulo villis nervoſis illato, & dolore moto, totum ſyſtema ſolidorum trahi in conſenſum, ut non ſaltem fluida ad ſedem infixi ſtimuli invitentur & alliciantur copioſius, ſed & omnis ſanguinis circuitus fortior, celerior, & febrilis adeo evadat. Dum autem humores omnes ſale cauſtico impræ-

gnantur,

1) *Vide Caſus apud Freind. Comment. VII., & ejus epiſtolam ad Meadium, itemque Mortonum de Variolis multis locis.*

2) *Comment. IX. p. 62. 63.*

3) *de materie medicinali lib. VI. c. 1.*

4) *diſſ. de Veſicatoriis.*

5) *diſſ. de uſu & abuſu Veſicantium, operum p. 665.*

gnantur, illi ſoluti & attenuati acre, rodens, ſepticumque ingenium acquirunt, unde jure jam AVINCENNA [1]) adurentem, & putrefactivam indolem Cantharidibus tribuit. Elegantiſſima ſunt verba BOERHAAVII, quæ Cynoſuræ inſtar in adhibitione & omiſſione Veſicatoriorum teneri vellem a Practicis doctis. *Veſicatoria* inquit, *agunt quatenus motum faciunt, & ſe in corpus inſinuant. Non conducunt, ubi humores ſunt acres, nec in morbis acutis inflammatoriis, nec ubi inclinatio eſt ad alcali. Miror claros viros adeo ſæpe Veſicatoria laudare, faciunt quippe per ſe febrem, anxietatem, halitum cadaveroſum, urinam fœtidam & acrem, ſanguinem in acre putrefaciens ſolutum.* [2]) Fere ſimilia monet Ill. van SWIETEN [3]) *Cantharides* ait, *calorem excitant illo in loco cui applicantur, & dein toti corpori caloris augmentum faciunt. Imprudenter applicata corpori febrem, ſitim, calorem urentem, halitum cadaveroſum, moleſtiſſimam ſtranguriam faciunt. Agunt ratione ſtimuli, quo languentem motum ſanguinis excitant, & vi fundente. Ubi humores diſſoluti acres, in putredinem vergentes, & magnus motus adeſt, non adeo tuto adhiberi poſſe videntur.* Applicentur nunc hæc omnia ad Variolas; ipſe ſtimulus varioloſus, mali moris præcipue, eſt ſal acre, cauſticum, ſepticum, ſui multiplicativum; Variolæ ſunt morbus inflammatorius, magnaque & nimia eheu! in Variolis præcipue malignis inclinatio eſt ad alcali. An ergo cantharides conducerent febri ſecundæ putridæ Variolarum, anxietatibus & aliis pravis ſymptomatibus ſtipatæ, a varioloſis Veſicatoriis totum corpus obſidentibus ſuos natales habenti, ſanguinique tum in acre putrefaciens vergenti vel jam ſoluto?

1) *lib. II. Tr. II. de Virt. Med. c. 105.*

2) *In Comment. ad aph. 75. veſicatoria.*

3) *in Commentario ad eundem locum.*

 Mihi

Mihi ſane id neutiquam videtur, quin potius verbis Cl. ALBINI [1]) animi mei ſententiam declaro. *Id medicamenti genus, quo ipſo febris artificialis inducitur, quod ſanguinem fundit, illiusque miſturam turbat, quod partes ſolidas inflammat, & magnum æſtum ciet, febrem tollere debet. Fiet ſane hoc, ſi febrem efficere & effacere, fuerint ſynonima. Quibus feliciter ſucceſſiſſe viſum, fallaciam non cauſæ pro cauſa commiſere.* Non ſatis memor exſtitit FREINDIUS eorum, quæ paulo ante edixerat, antequam Veſicatoria in febribus laudaret. Nempe diſertis verbis: *Iis* ait, *qui ad febriles æſtus natura ſua feruntur, interdum noxiæ ſunt Cantharides, etiam ubi corpus plenius fuerit, ſi ſcriptoribus habenda ſit fides, niſi venam ſecueris periculoſæ, ſiquidem cum ſanguinis molem admodum attenuent, curſumque intendant, febres, inflammationes, deliria, pariunt.* [2]) Hæc cum ita ſe habeant, omnino non video quomodo idem Celeb. Vir cum aliis, tantum dare potuerit Veſicatoriis, vigente ſecunda Variolarum febre. Sane ſi unquam in earum medela valent, valebunt unice, ubi febris torpet, & ubi e re Ægri futurum erat, fortius inſurrexiſſe vitalem humorum circuitum, ad faciendam, & excitandam, non ad inhibendam febrem. Atque hoc ipſum vel non prorſus prætervidere potuerunt, vel data opera monuerunt Excellentiſſimi quidam Viri. Ipſe FREIND verbis modo allegatis paucis interjectis addit: In lentis febribus in quibus pulſus imbecillis, lauguidusque deprehenditur, ſi quid auxilii tulerint veſicantia, eum illico invaleſcere ſentimus. Si ergo jam nimis invaluerit, in febre ſecunda Variolarum, impoſſibile eſt eum adhuc fortius exſtimulaturum Veſicans utile evadere

1) *diſſ. de Cantharidibus* §. 16.

2) *Comment. IX. pag. mihi* 62.

dere poſſe. Sed clarius & directe magis MEAD in Epiſtola ad FREINDIUM, quæ inſerta eſt ejus Comm. VII. de febribus, *Evenit autem non raro* inquit, *maxime in peſſimæ notæ morbo, ut cum pulſu arteriarum exiguo & languido, ſine ulla inſigni manuum intumeſcentia febricitet ægrotus, & imminutis admodum viribus torpeat magis, quam calore uratur. In hujusmodi Ægritudine imponenda ſunt brachiis & cruribus emplaſtra Veſicatoria, neque tamen ab omni purgatione abſtinendum, ſed ea debet eſſe leniſſima.* [1]) Atque alibi in Variolis malignis, die ab eruptione quinto vel 6. veſicatoria ſuadet. Hac enim ſeroſi liquoris extractione, febri quæ cum nil amplius in cutem derivetur, ferocior inſtat, tempeſtive occurri dicit. [2]) Antea vero ſuaſerat Confectionem Raleighanam vel cordiacam dictam, pulveres bezoardicos cum croco & ſpiritu C C. quæ omnia cum Veſicatoriis locum ſaltem habere poſſunt, pulſu exiſtente debili, & febre torpente. Nolo tacere Cel. HUXHAM [3]) qui poſtquam conditiones determinarat, nempe pulſum celerem & fortem, anxietates, magnum calorem, cephalalgiam ingentem & deliria quibus præſentibus in febre ſecunda VSe opus eſſe dicit, tandem ſubjungit: *Quando e contra pulſus eſt debilis, Æger languidus & interdum lipothymicus, variolæ cum interſtitiis earum pallidæ, depreſſæ, rugoſæ, lividæ, quando extrema ſunt frigida, tunc cardiacorum adhibitione & veſicantium applicatione nimii eſſe vix poſſumus. Vinum calidum tunc ſtupendos effectus edit.* Tandem quoque Ill. de HAEN [4]) debiliore exiſtente vita Cardiaca vinoſa intus & foris laudat, atque ſimul addit: *Mira hic & veſicatoria præſtant;* Niſi ergo vehementer fallor, ex omnibus

1) *p.* 45.

2) *libro de Variolis & Morbillis c. III. p.* 35. 36. *edit. Götting.*

3) *p.* 52. 53.

4) *Rat. Med. Part. II. c. III. p.* 54.

 hucus-

hucusque diſputatis conſtat, perperam valde, & cum magno ægrorum damno Veſicantia haberi pro remediis ſecundæ Variolarum febris. Id ipſum autem tanto evidentius reddi debet, quando vera emolumenta conſideramus, quæ cantharides præſtant in morbis, in quibus contrariæ prorſus conditiones ſolidorum & fluidorum obtinent, ac illæ ſunt, quæ Variolis & earum decurſui toti ſunt propriæ. Nimirum Autore HOFFMANNO [1]) in illis affectubus qui ex languore & imbecillitate motus proficiſcuntur, ubi ſtimulo & incitamento opus eſt, in ſubjectis temperamenti & naturæ ſegnioris proſunt. Ita & BOERHAAVIUS [2]) in morbis frigidis ſucceſſum eſſe magnum dicit. Non minus van SWIETEN [3]) ob ſtimulum quo languentem motum ſanguinis excitant, vimque fundentem qua pituitoſum iners dividunt, & attenuant, in omnibus morbis languidis & frigidis magni uſus eſſe veſicantia affirmat. Verum ejusmodi conditiones in febre ſecunda Variolarum neutiquam, ſed potius ipſis contrariæ, obtinent.

1) diſſ. cit. §. 6.
2) l. c.
3) l. c.

§. 20.

Corticis Peruviani.

Sequitur *Cortex Peruvianus* febrifugum illud magnum, limitibus tamen ſuis in fugandis febribus circumſcriptum, nec continuis, ſed intermittentibus unice, & ex earum genere continuis, ſanandis a Natura deſtinatum. Falluntur ergo, qui ad febrem ſecundam Variolarum inde auxilium ſperant. Nullo quippe cum fructu corticem ingeri in ea teſtatus eſt FREIND. [4]) Equidem MORTONUS, ſi febris hæc periodicis exacerbationibus & remiſſionibus ſeſe alternatim excipiat, curationem certius & felicius haud abſolvi dicit, quam Cort. peruviano, [5]) brevi tamen poſt

4) *in Epiſt. ad Meadium Comment. VII.*
5) *Tom. III. Operum c. X. p. 185. 186.*

poſt, quod notabile eſt, ingenue fatetur, nonnunquam varioloſam hanc febrem cortice hoc ægrius fugari, eaque propter jugiter illum exhiberi præcipit. [1]) Equidem MEAD minus ſæpe accidere dicit, ut febris intermittens tertiana ſimplex aut duplex febri variolarum ſe comitem adjungat, tuncque corticem per debita intervalla usque quo haud amplius revertantur acceſſiones, dari opportunum eſſe. [2]) Id vero raro accidit, & ſi fiat, febris intermittens ſejuncta erit a febre ſecunda. Notarunt interim Richardus FREWIN & Ioh. BATE [3]) febrem rediiſſe non obſtante uſu corticis, unde non videtur febris ſecundæ Variolarum etiam intermittentem ſimulantis, is æque ſpecificum, ac verarum intermittentium. Quodſi vero illa febris ſit vera ſynochus, corticis vires febrifugas non evolvi, & in actum deduci aſſerit ipſe adeo MORTONUS. [4]) Patet ergo in Variolis neutiquam ad febrem valere corticem, licet contrarietur earum malignitati, ut aliis malignis, pulſum, qui tunc depreſſus & debilis eſt erigendo, & humores omnes in putredinem vergentes condiendo. De hac ejus virtute poſtquam is tantos effectus edere in Gangræna obſervatus eſt, multa encomia leguntur apud Auctores fide dignos. Primus ex analogia gangrænæ cortice levandæ, & Variolarum exilium, confluentium, ſeroſarum, ſanguinearum, maculis rubris, violaceis, nigris, & hæmorrhagiis ſtipatarum, uſum in his experiri cum fructu cœpit MONRO, [5]) quem ſecutus eſt WALL [6]) bonos ſucceſſus caſibus recenſitis laudans, qui adeo & ad prophylaxin multum tribui debere huic remedio innuit. Laudat quoque in ejusmodi caſibus corticem MEAD, [7]) & HUXHAM, [8]) & ad hos omnes

1) *p. 187.*
2) *Cap. IV. p. 57.*
3) *Comm. VII. & in fine Epiſtolæ Freindii de purgantibus.*
4) *p. 187.*
5) *Med. Eſſays Edinb. Vol. VI. Art. 10.*
6) *Philoſ. Transact. Vol. XLIV. Part. II. No. 484.*
7) *cap. III. p. 37.*
8) *p. 44.*

omnes provocans ROSEN, [1]) quibus ſuperiore anno acceſſit Ill. de HAEN. [2]) Nimis veneror omnes hos Celeberrimos Viros, quam ut tantillum dubitare de eorum experientiis in animum inducam. At ſaltem mihi licebit lugere virtutem inſufficientem corticis, ad prophylaxin, & therapiam Variolarum pejoris notæ, quam eheu! in amatiſſima & mihi deſideratiſſima Ægra, expertus ſum, cujus ſolius obitus tantum in animo meo mœrorem poſt ſe reliquit, ut juſtum gaudium, ex mille ægris cortice ſanatis, & ſanandis, eum haud æquare valeat. Neque etiam quamvis largiter exhibitus inter vivos retinuit, filiolum illum unicum cujus Hiſtoria VIII. mentionem feci.

1) *diſſ. de Variolis*
2) *de febribus diviſione VI. §. 5. p. 101. & Rat. Med. Tom. II. c. VI. p. 110. & Tom. III. c. 1.*

§. 21.

Fotuum, & pertuſionis Variolarum

Multum quoque detrahi poſſe malitiæ Febris ſecundæ Variolarum per fomenta aſſidua, Clarorum Virorum ſententia eſt. Nemo hoc ipſum magis inculcavit quam Ill. BOERHAAVIUS [3]) quem diſcipuli ejus ſequuntur, curandum puris ad exteriora exitum, ab interioribus expulſionem præcipiens, cutim laxando fomentis tepidis laxantibus, aſſiduo, & laborioſe, renovatis. Mentem ſuam prolixius explicuit Auditoribus ſuis, ut videre eſt in *Commentario. Miſer* ait, *hic ſtatus eſt; Panni lanei lacte recenti pauxillo ſale admiſto immerſi circa cervicem, jugulum, ſpinam dorſi, inguina, poplites, pedes, cæteraſque corporis externi partes ponendi ſunt, & hæc calida fomenta repetenda, ut nempe itus purulentæ materiæ ad interiora caveatur. Si ægri balneum vaporis ferre poſſent, melius adhuc judicarem, ſed ordinarie ſunt nimis debiles.* Verum niſi omnia me fallunt, ipſa hæc verba, magnam difficultatem in actum deducendi, licet in ſe ſapientiſſimi conſilii,

3) *aph. 1402.*

loquun-

loquuntur. Nolo eidem eapropter contrariari, quod numero bene multi ægri dentur, quorum facultates aſſiduam hanc operam, ob famulantium defectum excludunt. Sufficit, ſi illa vel amicis manibus præſtari valens ſit febris & malorum inde pendentium remedium. In diſcretis vix fomentationibus ad hunc finem opus, cum magna febre haud ſtipentur. In confluentibus, ubi maxime opus eſt, non adeo facile totum negotium ſuccedit, ut primo intuitu aliquis reputaret. Si nulla alia tepida humectatione opus eſſet, quam oculorum & faciei, quam per totum morbi decurſum commendat de HAEN, [1]) vel & manuum, nil illa adeo operoſi involveret; at vero totius corporis externi fomentationes, balneum vaporis univerſale ſiſtere debentes, non ita faciles ſunt executu, apud pueros præcipue vim ipſis applicandi remedii haud aſſequentes, applicationique planctubus & ejulatibus potius reſiſtentes. Ex ipſa obſervatione BOERHAAVII Ægri ordinarie ſunt nimis debiles, fotubus igitur talibus tepidis parum reficientibus, adhuc magis debilitantur, idem quippe Vir Celeb. toties aquæ calidæ vaporem, inter ſumme debilitantia retulit. Deinde ſi totum corpus linteis duplicatis, vel pannis laneis decoctis emollientibus madidis involvendum eſt, licet omnia operoſiſſima celeritate fiant, caveri tamen haud poterit, ne fomenta in hac vel illa parte, cito refrigeſcant, eapropter donec removeantur, obtinebunt conditiones illis contrariæ, quas Medicus partem relaxaturus exoptabat. Quotusquisque autem eſt, qui vel ſemel decumbentem variolis confluentibus vidit, & miſerabilem ſcenam mente revocat, qui non ſimul ſponte largiatur, infandos dolores & ardores,

1) *Rat. Med. II. p. 53.*

res, quibus omnia corporis puncta affliguntur, vel minima in ſitu mutatione, cautiſſimoque attactu maxime, & ad clamores usque, exaſperari, ſæpeque impoſſibile eſſe prorſus, ut pro lubitu dextrorſum ſiniſtrorſumque vertatur corpus, & artus modo attollantur, modo deorſum moveantur, quando ne digitus unus extendi, vel flecti, ſine multo incommodo poteſt, neque enim aliter circumvolutio linteaminum locum habet. Taceo induſia, cuti laceræ pure & ſanie agglutinata, & centum alia infortunia, quæ ſolus is qui ea nunc patitur, graphice deſcriberet. Eſto autem his omnibus non obſtantibus, felix curioſis & callidis enchireſibus, ſummaque Ægri patientia, fomentationum ſucceſſus; eæ tamen ſaltem niſi emollitæ crepent puſtulæ, pus allicient ad exteriora corporis, non corpore eximent, igitur id nihilominus in ſinu humorum manens, licet interiora minori mole gravet, tamen eadem manente in toto corpore quantitate, & ſtimulo ſuo febrem ciebit, & ſuſtentabit.

Sine dubio autem exoptatior multo erit effectus, ſi maturæ & ſicceſcere incipientes puſtulæ vel acu, vel lanceola, vel forfice ſubtili pertundantur, aperianturque, exitusque adeo puri præſtetur, ac corpus a magna ejus copia liberetur. Antiqua ſatis eſt hæc operatio, ſi non ſemper ad therapiam morbi, ſaltem ad venuſtatem conſeruandam adhiberi ſolita, atque AVINCENNÆ ſuaſu acus aureæ beneficio perficienda.[1]) Ejus ad priorem finem, qui ad poſteriorem ipſam fruſtraneam, quin potius noxiam aſſerit, maximum valorem tuitus eſt recentiori ævo HUXHAM, optime ſic puri exitum facilitari declarans.[2]) Sed data Opera Ill. de

1) *Canon. Med. lib. IV. cap. de Variolis.*

2) *p. 41.*

HAEN poſt alios quos citat, die 10. 11. 12. (iis nempe quibus febris ſævit) tenero forſice puſtulas in tota facie, brachiis, cruribus toto corpore a Chirurgo aperiri, locaque ſpongiis aqua tepida, & lacte madidis abſtergi iubet. [1]) Sed hoc opus ex eius ſententia repeti debet, cum mane apertæ puſtulæ deterſæque veſperi iterum pure plenæ inveniantur, unde quinquies & pluries apertionem iterandam monet, qua in repetitione aperturæ utilitas maxima conſiſtat, toto panniculo adipoſo, et toto ſanguine pure ſcatente, a cujus copia corpus ita liberetur. Fateor certe, ſummopere utilis videtur hæc methodus, ſi ulla alia; pone enim mature pus ſi non omne, ſaltem maximam ejus partem abeſſe ex humorum ſinu, aberunt etiam ſubito, & præcavebuntur omnes ejus effectus, ipſaque adeo tremenda illa febris, cum omnibus ſuis ſymptomatibus. Verum enim vero ſcripſit alicubi Cl. STAHLIUS, requiri omnino in medela morborum, ut Conſilia Medici non ſaltem ſint ingenioſa, ſapientia, in egregium finem tendentia, ſed etiam ἔυπρακτα. Premitur, ſi non turpiter fallor, hæc laudabilis Opera, potioribus illis difficultatibus, quibus fomentationes premi, in antecedentibus commonſtravi. Si exquiſitiſſimam ſenſibilitatem, apud miſerum Ægrum, cujus tota cutis Variolis confluentibus quaſi nova ſuperinducta cute, & cruſta obtegitur, ſuſpendere liceat, vt ex voto ſuo & Chirurgi ſeſe movere, ſitumque in quo toties ſine turbis ullis quietus hærere anhelat, mutare queat multoties, tum gratulor ipſi de invento hoc medelæ genere. At vero qui noverit, qui ſæpe præſens viderit, quantum is patiatur ſola culcitrarum & lodicum leni agita-

1) *Rat. Med. II. c. 3. & de febribus p. 94.*

agitarione, quantum ejulet, quando ex ſternendo lecto eximitur, & ſtrato infertur, molliſſimis amicorum amicarumque manibus, vix in uno puncto corporis ſine dolore tangendus, & juvandus, is facile mente comprehendit, inſuperabiles moleſtias, & difficillimas enchireſes, quæ ſe pertuſioni Variolarum objiciunt. Atque o bone DEUS! comparemus cum his difficultatibus puſtularum myriades & apertionis earundem aliquoties repetendæ neceſſitatem, & earum abſterſionem fotumque cum ſpongiis, ſi juvamen verum ſperare velimus. Ignorabit Chirurgus, cum hac hydra lernæa, cujus detruncata capita ſemper renaſcuntur, conflictari juſſus, ubi incipere, ubi deſinere, ubi denuo tundere vel ſcindere oporteat. Neque etiam perinde eſt, utrum puſtula hæc, vel illa, utrum harum, vel illarum congeries pertundatur. Sane non omnes eodem temporis momento comparuerunt, non uno tempore matureſcunt, & ſui pertuſionem cum fructu admittunt. In omnibus abſceſſubus ad quos pertinent Variolæ, nocet, ſi præcipitetur apertio, & nova inflammatio facile ſupervenit. Feci plus ſimplici vice periculum, & quam maturatiſſimas mihi viſas, poſtquam aperueram, denuo dolentes, denuo inflammatas, denuo pure refertas & quod mirum tardius ſiccatas vidi quam alias, quas intactas reliqueram. Habui aliquoties ægras cultus corporis & venuſtatis ſtudioſiſſimas, & veneres ſuas perituras acerbe deplorantes, quæ tamen officium hoc novas moleſtias ipſis faceſſens deprecabantur. Si hæc omnia quæ elocutus ſum, nil etiam repugnent huic operationi, ſaltem partes internæ, puſtulis æque obſeſſæ, ac externæ obſidentur, aperiri nequeunt. Atque illa mortifera

tifera labes, quam viſceribus inuſſerunt, altis ibidem radicibus actis, tolli eheu negat, ſi plenis rivulis ex cutaneis puſtulis pertuſis omne pus in ſanguinis oceano fluctuans emanaret. Neque effundentes ſuum pus externæ puſtulæ impedire poſſunt, quo minus ægrotantes opprimantur ex profuſa ſanie diſruptarum internarum, in hanc aut illam partem nobiliorem, & vitalem. Unum quod adhuc moneam reſtat, Variolis confluentibus regularibus bono pure ſcatentibus tantum deſtinari poteſt hæc apertionis methodus, non irregularibus parvulis illis, & ſeroſis, puris loco ichorem continentibus, has perſcindi nihil juvaret. In his veſicatoriis largiter utendum vult HUXHAM [1]) cum præter alios bonos effectus etiam acribus humoribus exitum parent, dum in aliis apertionem laudat. Sed de veſicatoriis antea dixi, toties vero notarunt Auctores qui de operatione eorum ſcripſerunt, a tantillo ſeri quod evacuant, actionem eorum fructuoſam minime, ſed a ſtimulo potius & ejus effectubus repetendam eſſe.

1) *p. 40.*

§. 22.

His omnibus limitatis & dubiis remediis, ſuperiores & certiores vires, pro arcenda febre ſecunda, habet Inoculatio.

Vidimus hactenus niſi omnia me fallunt luculenter, remedia ſingula, quæ contra febrem ſecundam Variolarum confluentium hactenus medicis innotuere, quæque omnino non raro juvant, tamen etiam ſuam energiam adeo arctis limitibus circumſcriptam habere, ut in certis caſibus, quales eheu ſæpius dantur, ad juvamen præſtandum, & Ægri vitam conſervandam prorſus inſufficientia inveniantur. Febris vero hæc, ſeu ſanguinis & ſpirituum motus inordinatior, non interdum ſaltem variolis confluentibus jungitur, & periculum ſecum fert, ſed in adultis earum individuus eſt comes SYDENHAMO teſte. [2]) Eſt ergo hæc febris immanis illa homicida, immiſericors illa

2) *p. 464.*

hoſtis

hoſtis generis humani, dira illa Veneſica, cujus miniſterio ſolo demum Variolæ trucidant. Nonne igitur ſequitur, ob vim remediorum omnium cognitorum contra hanc febrem valde limitatam, multis adultis Variolis confluentibus moriendum eſſe, culpamque mortis ſi illa remedia rite fuerint adhibita, minime in medicos, ſed in ſummam morbi nequitiam, & in artis circumſcriptam potentiam rejiciendam eſſe. Qui in illos paulo durior eſſe, & huic nimium tribuere videtur Ill. de HAEN, licet omnino & in *ratione medendi* & in *theſibus de febribus* de Variolarum ſanatione dederit præcepta elegantiſſima, ad confluentes æque ac diſcretas ſpectantia, ſpeciatim tamen, & data opera de illarum ſecunda febre, deque ejus & periculoſorum ſymptomatum therapia tacet, ita ut adeo de uſu purgantium nil habeat. In *theſibus de febribus* [1]) ſaltem monet febrem confluentium ſe quidem habere ut in diſcretis, ſed paſſim longe violentiorem eſſe, violentioraque habere ſymptomata, quomodo vero eidem efficaciter obviam eundum ſit, ſpeciatim non exponit. In genere tantum curam Hippocraticam, Sydenhamianam, Bœrhaavianam ut in cæteris effloreſcentiis febrilibus, hic imprimis neceſſariam eſſe dicit, quam in ratione medendi expoſuerat. Quodſi autem hæc methodus ſit inſufficiens, quodſi certum ſit, febrem ſecundam Variolarum confluentium eſſe ſummi momenti, & toties actis omnibus quæ agi poterant, necare nihilominus, operæ pretium erit in commoda generis humani ſollicite circumſpicere, deturne in rerum natura remedium, vel ſanare, vel arcere illam aptum. Optime recordor olim jam fidiſſimum Præceptorem HOFFMANNUM agnoviſſe pro remedio, quod

1) p. 95. 98.

quod confluentes variolas, cum omnibus earum ſequelis arceat, Inoculationem, hancque ſuam mentem; is publice etiam declarare non dubitavit. [1]) Sed argumentis ex experientia multiplici & ratione petitis, poſtea hoc ipſum adſtruere clarius & fuſius moliti ſunt Inoculationis Patroni. Hos inter autem Cel. TISSOT ſpeciatim febris ſecundæ præſtantiſſimum remedium prophylacticum eſſe Inoculationem diſertis verbis teſtatur. *Numeroſiſſimis* inquit, *obſervationibus conſtat, poſt Inoculationem nullam dari febrem ſecundam, vel eam ne vnico moleſto ſymptomate eſſe ſtipatam. Hæc conſideratio vel ſola illis ſufficere poteſt ad commonſtrandam præſtantiam operationis hujus, qui ſciunt ab hac febre unice periculum omne in Variolis pendere.* [2]) Atque hoc aſſertum Vir Celeb. autoritate Cl. GUYOT & RAMBY ſimul corroborat, fereque omnes qui Inoculationem magni faciunt, in eo conſentiunt, quod febris ſecunda poſt eam, vel nulla ſit, vel rara, & ſi adfuerit, ſine ullo ſontico ſymptomate obſervetur. Ego quidem propriam experientiam allegare nequeo, quanquam autem illa deſtituar, facile tamen perducor, ut fidem dictis addam. Certiſſimum eſt quod eloquitur SYDENHAM, in Varioloſis ſpem omnem ſalutis in exanthematum paucitate reponi, diſcrimen in eorum multitudine, & prout plura ſunt hæc vel pauciora, aut mori aut vivere Ægrum, [3]) ſique magna humorum congeries in exanthemata faceſſat, præ nimia puris copia in ſanguinem regurgitante, in fine morbi ægrum quaſi obrui & fato ſuccumbere. [4]) Jam vero ex hiſtoriis innumeris, de quarum veritate dubitare velle, nil aliud eſſet, quam honeſtati & integritati tot magnorum & proborum Vi-

1) *Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 160.*

2) *Inocul. juſtif. Sect. VIII. §. 45. & Lettre à Mr. de Haën p. 68.*

3) *p. 443.*

4) *p. 450.*

rorum vim inferre, abunde conſtat, poſt inoculationem rite adminiſtratam ordinarie ſequi optimæ notæ, & pauciores numero Variolas, ita ut in facie (ex cujus aut multis aut raris puſtulis periculum & ſecuritatem morbi cùm SYDENHAMO recte dijudicamus) ſaltem 9. 10. 15. rarius ultra 40. compareant; adeoque pro earundem ratione febris non poteſt non aut fere nulla, aut moderatiſſima eſſe. Quodſi vero etiam numerus variolarum naturalium & inſitivarum eſſet par, tamen in illis febris eſſe debet major quam in his, quia ulcera arte parata puris quantitatem fundentia multum materiæ varioloſæ evacuant, quoque illa quantitas puris fuerit copioſior, eo minor naſci poteſt & naſci ſolet febris. [1] Miror MEADIUM Inoculationis magnum Amicum, ſtatuere, effluxum humoris ex vulnuſculo pro inſitione præſtanda inflicto, cum exigua ſit illius copia, quæ hac via effluat, vix quicquam conferre ad Ægri ſalutem. [2] Niſi vehementer fallor, ex lege ſtimuli corpori humano illati, omnis morbi impetus eo debet determinari, ubi ſtimulus hæret, adeoque omnibus reliquis & internis & externis partibus mitius incumbere. Deinde ex quantitate ſola, parca licet, quæ ex vulnere inflicto & ulcere inde facto emanat, non ad fructum inde pendentem concludendum eſt, iſque eapropter pro exiguo habendus. Æque peccaretur hoc ratiocinio, ac peccaret is, qui ex copia ſeri quam Veſicatorium extrahit, ejus utilitatem metiretur. Multum refert eo momento, quo introitus arte paratur veneno varioloſo, ſtatim ſimul magnæ partis ejus invitari exitum. Dum variolæ naturales plerumque in facie primo prodeunt, facta inoculatione maculæ rubræ primo circa

1) *Tiſſot* §. 45. 47.

2) *cap. V. circa finem.*

circa vulnuſculum conſpiciendæ huc præcipue vergere virus, teſtantur. Vidi aliquoties quando vel vehementes convulſiones, vel ſoporoſus effectus ante excluſionem Variolarum, incipiente, vel durante prima febre, veſicatorium poſcebant, mitiores & pauciores ſecutas fuiſſe variolas, neque aliter hoc phœnomenon explicari poſſe credo, quam potiorem partem veneni cum ſero effluente fuiſſe excluſam & verſus plagam perpetuo fuiſſe determinatam, maxime quando locus apertus ſervatus eſt, neque ſaturninis conſolidatus fuit. Cavi ſollicite ne hoc fieret in puella Hiſtoriæ III. quæ optimæ notæ variolis & paucis valde laborabat. Si febris ſecunda vix aliter melius quam evacuantibus tractetur, hisque Venenum quod jam omnem humorum maſſam intimius infecit, & ſibi aſſimilavit, educi poteſt, quidni felicius educeretur, ſi ab ipſo morbi principio & in principio principii, aperta ipſi janua præſtetur. Præter hæc momenta omnia id ſane vix de nihilo eſt, quod habet TISSOT,[1]) magnam nempe eſſe differentiam periculi in Variolis, a ſede prima, quam Venenum ſuam facit, cui potiſſimum inhæret, & in qua matricem ſuam nanciſcitur. Quis auderet aſſerere, nil referre, ſive id primo inferatur, infixumque hæreat cerebro, nervoſo ſyſtemati, nervoſoque ventriculo, pulmonibus, cordi, vel in externa cute primum ſuum domicilium adipiſcatur? Nonne delicatior internarum partium fabrica, ſi in eas æque illud egerit, ac in corpus externum, majus inde detrimentum pateretur? Nonne ſontica magis ſymptomata in priore quam in poſteriore caſu expectanda ſunt? Sane ipſa inoculatio per nares, quæ primo obtinebat, evidentiora mala produxit, cum illa, quæ

1) *Lettre à Mr. de Haën p. 88.*

quæ nunc in brachiis perficitur, ſit illius reſpectu innocens & ſecura. Nonne omnia mala internis partibus gravia futura feliciter poterunt averti, ſi in parte externa perpetua irritatio, perpetuam toxici avulſionem a partibus nobilioribus præſtiterit, ab ipſo morbi initio, imo vero jam ante illud, & usque ad ejus finem. Fluctuans in aëre exaltatiſſimum & liberrimum Venenum, pro lubitu quaſi, & qua data porta ruere poteſt inſpiratum in pulmones, deglutitum cum ſaliva in ventriculum, tumque & in his partibus ſtatim deleteriam ſuam indolem exercere, & ſtrata via pergere in humorum Oceanum, omniaque liquida inficere ſubito. At vero miaſma illud in pure latitans, quod inoculationi inſervit, non videtur amplius eſſe ſui juris, neque adeo exaltatum, ac aëreum eſt; amiſit jam partem ſuæ virulentiæ, latitat in pure quaſi involutum & obtuſum, inſuperque extus inſinuatum longiore demum via ad partes principes & nobiliora viſcera deferri poteſt; & eodem loco, quo ingreſſum eſt corpus, egredi iterum bonam partem cogitur. Per rerum naturam igitur impoſſibile eſt, ut tot miſerrima ſymptomata excludat, quæ a miaſmate in aëre volitante excludi poſſunt, & ſæpe proh dolor ſolent. Inter illa eheu dantur talia, quæ in ſe jam ſatis periculoſa, periculoſioria redduntur, quia remediorum quæ unice juvare poſſent, liberam adhibitionem impediunt, & ſæpe penitus prohibent. Vix ſcilicet confluentibus Variolis æger aliquis, ex adultis præcipue, laborat, quin & oris cavum & cum lingua fauces, & tractus œſophagi illis undique conſpergatur. Quam difficile vero tum ſit, vel ſolorum potulentorum, molliſſimorum licet, ſufficiente

copia

copia deglutitio, abſolute tamen neceſſaria, norunt illi ſoli, qui clinici Medici per annos exſtiterunt, nil dicam de impoſſibili remediorum acidorum, ſalinorum, aſſumtione, nil de cortice chinæ indicato qui ſanas fauces, & natura humectatas, ob adſtrictionem quam in fibris relinquit, ſæpe ſat difficulter tranſit, multo vero difficilius puſtulis undique obſeſſas. Taceo deliria, quæ monitoribus aſperum, taceo anxietates, quæ deſperabundum & vitæ pertæſum, & remedia averſantem ægrum reddunt. Verum omnia hæc & plura præcavet Inoculatio.

§. 23.

Laudes illa mereri videtur, quod adaptetur Puſionibus, qui ſemper mitius laborant, & tutius, ac adulti;

Fere obliviſcor, me jam id executum fuiſſe, quod meditabar, atque hujus Operationis Sileſiis pene neglectæ, minus idoneum exiſtere me poſſe Præconem. Habeo tamen adhuc nonnulla, quæ efficiunt, ut finire nequeam. Univerſali fere conſenſu Practicorum & indubia experientia certum eſt, quod ſcripſit doctiſſimus PECHLINUS [1]) *Morbum hunc differri eo majore periculo, quo a pueritia longius rejicitur, adeoque infantibus puerisque optandum, adultis periculum minari.* Omnes hoc morbo laborantes eo minus de Vita periclitari quo ætate ſunt minores, aſſerit MEAD. [2]) Quamdiu ætas tenellula eſt, tam diu Variolæ minus periculum involvunt, creſcentibus annis creſcit periculum ait TISSOT. [3]) Atque hæc veritas non ſaltem inter Medicos, quorum plures allegare nil attinet, ubique recepta eſt, ſed & omnis vulgus ſola experientia rerum magiſtra inſtructus, minus trepidat, ſi vagientes in cunis videat puſiones variolis laborare, dum parum boni ominatur adultis. Ex hoc ergo capite vel ſolo mihi videntur Inſitionem magni fa-

1) *lib. II. obſ. 5. p. 233.*

2) *Cap. IV. p. 61.*

3) *§. 8.*

cere ejus Amici. Prima inde MEADIO [1]) deſumitur ratio, cur tutior ſit inſitivus quam naturalis hic morbus, quia corpori puerili, vel ſaltem juvenili inditur venenum. Toties plenam libertatem ſeligendi opportunam ætatem prædicat TISSOT, [2]) recteque monet, dum teneri infantes ſubjiciuntur operationi, mature caveri, ne futuris annis victimæ fiant inſuperabilis morbi, morsque eorum parentibus acerbius doleatur, quando ipſorum vita ſenſim ipſis magis chara, utilisque, & neceſſaria evaſit. Cum longe gravius adulti, quam infantes divexentur Variolis, inſitione in ipſa infantia inſtituta, homines quamplurimos, præſertim nobiliores & Principes, quam aptiſſime non tantum a graviſſimis malis, ſed & vel maxime ab ipſo mortis diſcrimine defendi poſſe, aſſerit HEISTERUS. [3]) Merito lætos omnes ſubditos Anglos, poſt felicem Inſitionem, ſibi ſervata, & ſecura a tam metuendo in adultiore præſertim ætate morbo, noſcere Germina Regia, ſpes patriæ, & tot Populorum, declarat Ill. WERLHOFIUS. [4]) Sine dubio ſi dudum in Sileſia ſuperatis præjudiciis recepta fuiſſet Inſitio, ſuum poſſiderent adhuc filium unicum, & optimum mihi honoratiſſimi & optimi Parentes (Hiſt. II.) quem æque immiti dolore lugent ad hunc diem, ac ſi Principem aliquem juventutis perdidiſſent. Similis ſibi quippe, & idem prorſus eſt, a regali ſolio, usque ad humile taguriolum, ille ingenitus Parentibus amor, erga Prolem, quem peculiari vocabulo στοργὴν Græci appellare conſuevere. Non niſi ſummo animi mœrore video ſeneſcentem patrem, ſine fulcro quod unicum erat, non habentem amplius in quem, ut ſolebat, curas ſuas reponeret. Matrem abditarum ærumna-

1) *C. V. p. 69.*

2) *Lettre p. 48. & l'Inoculation juſtifiée §. 2.*

3) *Chirurg. Part. II. Sect. I. c. 15.*

4) *de Variolis & Anthracibus p. 17. in notis.*

ærumnarum oſſium medullas exedentium notas, in omni vultu, in terram, quæ natum ſuum tegit, demiſſo, ſecum ubique circumferentem; familiam omnem brevi temporis intervallo emorituram, & dum ſupererit, amiſſum unicum ſolatium, extinctamque unicam duraturæ memoriæ ſpem, ploraturam. Atque utinam aliquis Medentum ſagaciorum, æternum dilectæ, & ad urnam mihi deſideratiſſimæ, citoque nimis ad Beatorum ſedes evocatæ, *Johannæ Beatæ* tutas & benignas futuras olim inſeviſſet variolas! Viveret adhuc ſine dubio candidiſſimum illud pectus, flueret adhuc per intemeratum illud Cor ſinceriſſimus cruor; egoque qui naturalibus Variolis primo ætatis anno feliciter ſuperatis, nil timendum a rabie earum deinceps habui, verſatus toties inter hoſtilia earum agmina, viverem terque quaterque beatus, qui jam vivo ſemimortuus, & in Muſei ſolitudine ſæpe ſepelior anxius & derelictus, neque proſum amplius Ægris meis, ut prodeſſe poſſem, turpia Variolarum naturalium facinora, quaſi ante oculos picta ſine fine contuens, & abominans. Adeo deplorabiles effectus edunt quandoque Variolæ naturales, etiam apud illos, quos non necant, nec amplius necare poſſunt.

§. 24.

Pone vero ea felicitate frui tandem adultum, ut benignius mulctatus, vel diſcretis quod rarum eſt, vel non omnino confluentibus, ſanabilibusque Variolis corripiatur, & evadat. Antea tamen donec de ſua ſecuritate ab hoc hoſte generis humani certus reddatur, per annos affectui Tyranno & Tortori Cordium, Timori fuit ſubjectus. Nempe quoties regnante graviore Epide- *quod Timorem per annos excruciantem animos, mature propellat;*

mia, illa amicos rapit, omnibus in tota urbe, & confiniis, cum eo nondum conflictatis, minax morbus, alter quaſi Hannibal ante portas tremorem incutit. Sane ſolus etiam inanis metus dulcedinem vitæ prorſus turbat, nullam quietem & tranquillitatem, aut interruptam ſaltem fluctuanti animo indulgens. Confundit præterea & pervertit totius corporis Oeconomiam, nervoſamque ſyntaxin debilitando morbis & ſymptomatibus variis januam pandit, de quorum geneſi peculiares aliquot obſervationes conſcripſit PECHLINUS. [1]) Quis vero ille mortalium, qui metus omnes, & inexorabile fatum ſubjecit pedibus? Hoc unum equidem neceſſarium eſſe ait SENECA (lib. II. nat. quæſt.) non ut effugiamus ictus rerum, undique enim in nos tela jaciuntur, ſed ut fortiter conſtanterque patiamur. Invictos nos eſſe poſſe exiſtimat, licet non inconcuſſos. Contemnendam mortem eſſe dicit, & omnia quæ ad eam ducunt, contempta fore promittit. At grandiloquæ hujus ſtoicæ Philoſophiæ praxin nullibi Medici clinici offendunt. Non facile quisquam notante laudato PECHLINO [2]) ita ſui juris eſt, ut ad mali alicujus conſpectum, & præcipue ſenſum, jamque etiam ex triſtiore ſenſu natam morbi imaginem, non percellatur. Nil itaque tam periculoſum ille habet, & ominale, quam graſſantibus morbis male ſibi metuere, neque mirum eſſe dicit, meticuloſos quosque facilius morbis corripi, & ubi correpti ſunt, mori, inque morbis epidemicis eos imprimis affici, quos metus male habebat, & tamen officium aut neceſſitudo adigebat, ut evitare commercium aëris, aut ægrorum non poſſent. Digna ſunt omnia de hac

1) *Obſ. p. 435. ſeq.*

2) *p. 442.*

hac materia quæ apud ipſum PECHLINUM legantur. Atque hoc omne præcipue de Variolis valet. Rectiſſime ſcripſit WILLIS [1]) *Qui timidi ſunt, & maxime hunc morbum perhorreſcunt, in eum promptius incidunt, timore enim miaſmatis particulæ a ſuperficie corporis intus convehuntur.* Fuſe & docte de hoc argumento agit KIRKPATRIK [2]) & exempla notabilia habet, remque omnem a vigore circulationis per timorem depreſſo, & imminuta perſpiratione deducit, unde vaſa inhalantia contagium citius imbibant. Atque certe SANCTORIO [3]) teſte, *nihil magis reddit liberam perſpirationem, quam animi conſolatio, nil magis impedit, quam mœſtitia & timor, corpusque ponderoſum reddit.* Quantæ inde in corpore inficiendo, infecto, & morbum ab infectione brevi ſubire juſſo emergunt noxæ! Sed ipſe timor quod bene urget TISSOT, [4]) eſt documentum evidens periculi, quod ſecum ducunt Variolæ, cum non aliunde naſci poſſit, quam ex certa cognitione triſtium & funeſtorum morbi effectuum. Quantum ergo officium præſtat Medicus hominibus, quando eos a triſti repræſentatione futurorum malorum in perpetuum liberat, & in ea ætate quæ per levitatem & incuriam ſibi naturalem periculum quod ocyus ſeriusve imminet feliciter adhuc ignorat. Quanta felicitas, non niſi tardius ex alienis infortuniis, cognoſcere mature ſuperati magnitudinem! Recte Cl. MATY pretioſiſſimum libertatis donum mancipiis indultum, levi adumbratione ſiſtere beatam ſortem dicit, quam Inoculatio iis præſtat, qui antequam terribile malum eos ſolet invadere, perpetuo timore anguntur, & ab amicorum ſodalitio excluduntur. Recte ad hunc Autorem provo-

1) *de febribus p. 118.*

2) *Sect. I. p. 27. ſqq. edit. germ.*

3) *Sect. VII. aph. 6. 1. 2. 8.*

4) *Lettre p. 29.*

1) *Inoculat. juſtifiée* §. 92.

provocans laudatus TISSOT [1]), *Quot miſeri dantur* inquit, *quibus timor omnes fortunas quaſi veneno imbuit, qui nomine morbi ſaltem audito tremunt, qui graſſante in civitate ægritudine omne commercium hominum horrent, omnem voluptatem, omnia licita vitæ oblectamenta, omnem tranquillitatem ignorant, ſuisque officiis defungi nequeunt, ac poſtquam ſemet ipſos terrificis ideis diu excruciarunt, tandem tamen diriſſimo morbo abripiuntur.* Ego eheu! omnium horum veritatem triſtiſſima experientia didici, neque puto Lectorum meorum memoria penitus exciderunt, quæ in præmiſſis hiſtoriis huc facientia enarravi, quæque eapropter repetere nolo.

§. 25.

quod Pulchritudinem conſervet;

Jungit in Epilogo *Juſtificatæ Inoculationis* magno argumento de timore mature per hanc operationem pellendo, conſervationem Pulchritudinis Cl. TISSOT, liceat mihi de eadem materia paucula adnectere. Prorſus ipſi conſentio, ut omnes conſentire debent, Vultum humanum lineamentorum ductubus ſpecioſum, & amabilem, pertinere inter ſumma digiti divini artificia, nilque magis placere, nil cor intuentis magis recreare credo, quam animi bonitatem ſerena & aperta fronte, oculorum leni & blanda acie, quæ tacito nobiscum loquitur, genis roſeo verecundiæ decore ornatis, oreque modeſte ſuccincto, expreſſam. Nil unioni animorum, nil amicitiæ nectendæ & ſervandæ, nil quando abrupta eſt, reconciliationi impetrandæ, magis inſervit, quam facies ad humanitatem compoſita. Illam reverendam venuſtatem, quam ſolæ non reverentur, totiesque exurunt ruditer & exedunt hoſtiles Variolæ, illud eximium DEI donum, con-

ſervat

ſervat potenter Inoculatio, a Circaſſiis eapropter unice inventa; ut ſervata formæ pulchritudine, adoleſcentulas pauperiores finitimis populis vendere in ſervitutem, & lucrum inde capere poſſent. DEUS ut in ſtatu integritatis creato viro vitæ uſuram, quæ feliciſſima futura erat, longe eminentiorem redderet, videns non bonum eſſe, ut is in ſolitudine verſaretur, ſociam ipſi dedit, pulcherrimam ſine dubio, quia ex propria ejus manu condita prodierat. Poſt lapſum adeo, ut vitæ amaror & acerbitas aliquantisper dulceſceret, conjugalem amicitiam ratam habuit. Prævalent omnino dona interna externis, quantum mentis nobilitas fragile corpus ex terra fabrefactum ſuperat. Attamen nil eapropter dignitati corporeæ ſtructuræ decedit. Poëmate incomparabili, ut omnia ejus ſunt, jacturam amatiſſimæ Uxoris flens Ill. de HALLER, expoſitis dotibus exquiſitiſſimis quæ mentem ejus condecorabant, quæ conjugale conſortium ipſi adeo amœnum reddiderant, quibus omnes curas ſuas & adverſitates delinire potuerat, addit tandem, accedente corporis ornatu & fabricæ hujus elegantia, nil felicitatis amplius deeſſe animabus nondum glorificatis, & ad capeſſenda cœleſtia gaudia adhuc immaturis, ſi ejusmodi gazas poſſideant. Anne foret operæ pretium maritis & uxoribus aſſerere innocentem illam voluptatem, quæ ex ſpecioſa vultus humani conformatione, in animum omnem contuentis ſe diffundit, quamque ipſis in adverſitatum mundanarum lenimen indulſit benigniſſimus naturæ Autor? Neque enim naſcimur foveis & cicatricibus deturpati. Nonne hanc curam debent parentes omnes ſuis liberis, ut cordi mature Virtutis ſeminibus inſitis,

tis, poſt culturam animi, integritatem & venuſtatem corporis eorum tueantur, ut habeant, quo delectentur ipſi, & alii olim cum quibus ſocietatem arctiſſimam ſunt inituri. Omnem dotem, aut ſuperat, aut eminentiorem reddit, formæ pulchritudo. Nolite Lectores mei, argumentis ex auſteriore Philoſophia petitis, vilipendere, fluxamque, caducam, & evanidam declarare, quæ brevi antea elegantiſſima erat, corporis conformationem. Ipſe Chriſtus Servator homo fuit omnium pulcherrimus, natus ſine dubio eſt a Matre pulcherrima; namque ſalutans Mariam Angelus, gratioſam eam appellavit. Atque ab omni ævo DEUS probos ſuos, & dilectos, ut aliis peculiaris ſuæ gratiæ ſignis, ita & formæ præſtantia ſæpius condecoravit. Specioſa corporis dignitate eminuit inter omnes Iſraelitas, quem primum diademate dignatus eſt, *Saulus*. Videte, inquiebat *Samuel*, quem ſuo populo Regem Dominus præfecerit, regiam celſitudinem, cum formæ ſplendore conjunctam indigitans. Elegantiſſima faciei & membrorum conformatione conſpicuus erat *Joſephus*, Jacobi filius, integerrimam animam ſub egregio hoc velamine cuſtodiens. In eleganti & nitido corpore habitabat virtus pulcherrimæ *Saræ*, uxoris *Abrahami*, duorum Regum amoribus ſed fruſtra laceſſitæ. Uno adſpectu, ob amabilem formam *Rebeccam* conjugem ſuam ſeleget Iſaacus, pro ſorore venditandam, ne a Palæſtinis ipſi raperetur. Inclinato ſceptro aureo affectum animi teſtabatur Artaxerxes formoſiſſimæ *Eſtheræ*, cujus virtuti & formæ debuit exulans Iſraelitarum gens, ut intentatam cædem effugeret. Sed nimis excurro, rhetoremque magis agere videor, quam Medicum,

Pulchri-

Pulchritudini corporis Panegyricum ſcribens. Sufficit ipſi favere Inoculationem, dum paucas ſaltem puſtulas in facie excludi facit, quæ vix cicatrices aut leviſſimas ſaltem poſt ſe relinquunt. [1]) Quodſi vero illibatæ formæ dignitas inſuper habeatur; quod ſi nitida, mollis, & glabra cutis æquiparetur rigidæ, denſæ, & cicatricibus fœdæ; quodſi nil referat, ſi blandientes lineamentorum ductus diducantur, diſtorqueantur, & dehoneſtentur, non tamen perinde erit, ſive oculi illæſi maneant, ſive minus. Adoleſcentem annorum ſedecim, variolis confluentibus laborantem, accedente febre cum magno præcordiorum æſtu, ſpiritu difficili, & delirio, VSe largaque præcipue purgatione, per pilulas Rufi & Electuarium lenitivum præter ſpem ſervavit MEAD, [2]) ſed adeo in miſellum deſæviit morbus, ut vitiata a puſtulis, in utroque oculo tunica cornea, viſu privatus, vitæ dulcedinem amiſerit. Miſeſceſcens video agnatam puellam, animi donis præſtantem, pauperrimorum parentum filiam, a Variolis confluentibus occœcatam, quas ante annos ſuſtinuit, me in auxilium vocato, cum totam faciem & oculos jam occupaſſent. Plures novi qui ejusmodi infelicitatem, aut leviorem, at ſatis moleſtam, fiſtulas lachrymales, leucomata, nebulas, ophthalmias chronicas, & alia vitia oculorum, variolis debent. Anne credibile eſt Inoculationem ſervare potuiſſe omnibus viſus & vitæ amœnitatem deperditam? Sane nil a veritate alienum ſtatuiſſe eos aſſerit HEISTERUS, [3]) qui dixerunt, Variolarum inſitione quam plurimorum hominum non vitam ſolum, ſed faciei quoque pulchritudinem, oculorumque integritatem conſervari, quam aptiſſime poſſe.

1) *Tiſſot §. 44.*

2) *lege ejus Epiſtolam Comment. VII. Freindii inſertam.*

3) *Part. II. ſect. I. c. 15. §. 2.*

§. 26.

§. 26.

quod fortuitos caſus medelæ obſtantes, abeſſe faciat; Præter hæc, quæ hactenus in medium protuli, non opinor invalida argumenta, multum patrocinantur Inoculationi fortuiti caſus haud raro evenientes, ita tamen comparati, ut minus opportuno tempore, & loco Variolæ ingruant. Sero tum aliquando medicina paratur malo, quod per longas moras jam invaluit, vel minus ſelecta remedia, aut plane nulla a principio ad finem morbi adhiberi poſſunt, regimenque juſtum in totum abeſt. Accuratiſſima adeo & attentiſſima circumſpectione ejusmodi infortunia prævideri ſæpe, & averti nequeunt. Myopem me, Argo tamen oculatiorem præſtiterat, puriſſimus & ardentiſſimus amor, quo in incomparabilem BEUCHELIAM ferebar, neque tamen prævidere poteram, fatalem Epocham, infelicioris vitæ meæ partis, quæ ſupereſt. Illa adeo mitis alioquin, adeo docilis, adeo cereo & flexili animo, humaniter amicis monentibus contradicens, ut Nobiliſſimo Fratri Sororis officiis haud deeſſet, ſuſcipiebat iter, rurique præter omnem ſuam & noſtram expectationem, laborare incipiebat Varioloſa febre, quam negligere debebat, quamque redux ſub inclementiore Jove peſſimam reddiderat; atque ita inſcia fatum ſuum ipſa ſibi adſciſcebat & maturabat. Non præviderat ille Dux bellicus Berna ad Gallorum exercitum in Weſtphaliam abiturus, ſe in ſordido tuguriolo Variolis laboraturum, ſibique ibi in ſtabulo, inopi omnis auxilii, inter timores, angores, & ſuſpiria, pereundum fore.[1]) Minus opportuno tempore, & loco ſine dubio etiam, ut in novellis publicis dum hæc ſcribo, forte fortuna lego, Variolis prehenſus, & 31. anno ætatis iis mortuus

1) *Tiſſot lettre p. 48.*

tuus eſt in Urbe *Urdingen*, ad rhenum ſita, *Annas Mauritius Dux Montmerencianus*, qui ad eminentiores dignitates militares, a Chriſtianiſſimo Rege evectus erat. Si Medico ibi deſtitutus haud fuit, ſi omnia acta ſunt ut decet, obſtitit minimum ſanationi ætas adulta, & puer inoculationi ſubmiſſus peregrino ſolo non erat tumulandus. Magno numero paſſim exſtant caſus analogi. Atque quoties vel ſola corporis, & animi diſpoſitio, tum obtinens, quando inopinatæ Variolæ accedunt, medelam omnem fruſtratur. Hujus ſane occaſione, non reticeri debere videtur, Ægrorum etiam adultiorum nimis frequens moroſitas, ad capienda juſta copia potulenta, & congrua remedia, quæ toties æque adverſa ipſis ſunt, ac omnia incommoda morboſa. Amiſi ante paucos dies, Virginem nobilem 14. annorum, quæ ruri Variolis confluentibus decumbebat. Multa diligentia jam cum frater antea benignioribus laboraret, litteris commendaveram, juſtum regimen, & quædam pharmaca prophylactica, cumque febricitare vere inciperet, methodum ad amuſſim antiphlogiſticam, ſed omnia negligenter fuerant acta, VSem ægra admittere noluerat, morbique adverſitates impatienter ferens adigi non potuit, ut præceptis reliquis therapevticis auſcultaret. An probabile eſt, in ſola Sileſia dari filios & filias natura pertinaces, & ſui arbitrii, aut blanda Patrum matrumque indulgentia ſegnes redditos? Vidi a primordiis praxeos ad hunc diem, perire tales bene multos. Verum obſtinatiſſimos ſanare valet Inoculatio, multo apparatu medicamentoſo non egens, aut eo fere prorſus carere valens. Sed & ſola diſtantia locorum obedientioribus ſæpe infauſta eſt. Si ruri

degat

degat æger, & in populoſa civitate 5. 6. milliaribus ab eo remotus fuerit catenis ſuis alligatus, aut furtim ſaltem avolans, & eum ſemel bis inviſens Medicus, prorſus impoſſibile eſt, ut hic morbo rite proſpiciat, ſi vel ſolertiſſimus & doctiſſimus fuerit. Centum impedimenta tum objiciuntur therapiæ & regimini juſtis, ſi quotidiana & quotidie iterata præſentis directio abſit. Neque præſentiſſima, & vel uni Ægro totam ſe devovens ſagaciſſimi medentis amiciſſima opera, tot caſibus infauſtis prævidendis, præoccupandis & āvertendis par eſt. Si motu voluntario, vel mero, vel ardente jam Sirio incaluerit corpus; ſi morbis vix ſuperatis debilitatum & exhauſtum; ſi aliis morbis fuerit affectum (ſolam allegabo perniciem Variolarum in Hypochondriacis, ſat frequentibus inter mortales; [1]) ſi pathemata animi graviora functiones omnes turbaverint; ſi ſuppreſſæ fuerint excretiones ſolemnes, & cutanea præcipue, atque his conditionibus obtinentibus contagium clam irrepſerit, nil tale cogitante Ægro & Medico, largum pabulum, infelicem fomitem invenit, flamma quam hoc accendit, atque omnis actio veneni intenditur. [2]) Præter hos caſus fortuitos peculiarem adhuc animadverſionem merentur illi, qui Sexui amabili ſaltem proprii ſunt. Puellas, quibus catamenia ætate maturis nondum proruperunt, vel inſtant; vel cum incommodis ſpaſticis, vel & regulariter & ſecundum ordinem nunc fluunt, ſi Variolis mulctentur, periculoſo in ſtatu verſari credunt Medici omnes. Gravidæ, ſi iis infeſtentur, ſique quod utplurimum fit, ſub decurſum earum abortum & præcocem partum experiantur, quot mala patiuntur! quanto Vitæ diſcrimini

1) *vide Junckeri diſſertationem de hac materia.*

2) *Vide Burges c. 3.*

ſunt expoſitæ! ſi fœtum deperditum etiam parvi facias, quem tamen parvi facere tot reſpectubus haud licet, quoque deperdito aliquando ſpectabiles Familiæ ſpem poſteritatis perdere poſſunt. Vidi has calamitates in propria dilectiſſima Uxore, quæ dum Variolis confluentibus laborabat, quinto menſe prægnans, iis ægerrime ſuperatis, mirum quantum debilitata accingere ſe debebat veris laboribus partus, quibus ſat diu miſere vexata, edebat fœtum putredine ſemi-corruptum punctis rubris copioſiſſimis undique conſperſum. Taceo deplorabilem ſtatum, ſi recens Puerpera hoc morbo adficiatur. Verum omnia hæc & plura fatalia accidentia Inoculatio evitare novit, tumque quando bene ſcientibus Medico, Ægro, & Agnatis, Ars naturam præveniens Variolas ſuſcitat, abeſt omnis ſiniſtra fortuna, in quam præmeditatæ voluntati, & circumſpecto decreto eſt arbitrium, telaque prævíſa, quæ antequam feriant jam obtunduntur, minus poterunt nocere. Accedit electo juſto anni tempori, electæ idoneæ ætati corporis, cui inſerere venenum animus eſt, juſta & ſat diu inſtituta præparatio, cui omnia tribuunt Inſitionis Encomiaſtæ, quamque licet parum ab illa exſpectandum eſſe ſtatuat, doctiſſimus de HAEN, tamen contra eum maſcule & argumentis validiſſimis propugnat Cl. TISSOT [1]) quæ legi, relegi & bene perpendi velim. Licet enim aliquando in Variolis naturalibus haud multum vel nil commodi ab illa eveniſſe viſum ſit, non tamen ſequitur, nunquam emolumenta inde impetrari, quæ certius obtinebuntur, ſi cuivis ſubjecto ſua peculiaris pro circumſtantiarum corporearum varietate adaptetur præparatio. In natu-

1) *Lettre p. 35. ſeq. 40. & 80. 81. lege & Burges c. 3. 4.*

 rali-

ralibus adeo dum graſſabantur, corporum quæ eas nondum ſuperarunt idoneam præparationem admittit & laudat HUXHAM. [1]) Forſan haud irrita fuit in amatiſſima Perſona, & uſum ſuum commonſtraſſet, ſi caſus ſiniſter infeliciſſimi Itineris abfuiſſet. Sed hunc præoccupaſſet mature inſtituta Inoculatio, præparationemque ſimul ad eandem feliciorem ſine dubio præſtitiſſet.

1) *p. 14. 15.*

§. 27.

quod dolorum tormenta olim ſubeunda mature avertat.

Dum ad finem laboris mei tandem tendo, contuitus omnia uno quaſi obtutu argumenta, & penſitans, quæ pro Inoculatione, & contra eam publici juris facta ſunt, diffiteri nequeo perplacere mihi ingenioſiſſimum ſimile, quo diſcrimen naturalium, & ſecuritatem artificialium variolarum vividis coloribus pingere laboravit Cel. TISSOT. [2]) Novi id haud arridere Ill. de HAEN, quin haberi pro luſu ingenii magnam ſpeciem habente, ſed a reali veritate remotiſſimo. [3]) Dixerim autem, pace laudatiſſimi Viri, nulla re niſi veritate, & convictione intima motus, ſi tota Tiſſoti epiſtola foret metaphorica, totaque tropis & ſchematibus conſtaret, me eam inter medicos libros vix repoſiturum fuiſſe, vix enim licet ludere in re adeo ſeria, ac eſt corii humani integritas. Verum ne quidem ὕϛερον πρότερον commiſit Vir egregius, ſed argumentis validis & experientiis certis antea pugnavit, iisdemque demum ſuum ſimile ſaltem illuſtrans, nilque probans, nec probare debens, ſubjunxit. Si ullum ſimile non claudicat, hoc ſane mihi non claudicare, ſed firmis neque nutantibus pedibus incedere videtur. Meum non facio urgere omnia momenta, quibus componitur, neque monſtrare exactam relationem inter imaginem, & res ipſas,

2) *lettre p. 99. in fine & ſeq.*
3) *in præfatione refutationis.*

unam

unam conſidero facilem tolerantiam Variolarum artificialium, cum ſecuritate earum, & diriſſima tormenta quibus toties naturales variolæ ægros excruciant, cum earum periculo. Mitem adeo plerumque eſſe hunc morbum ab inſitione genitum dicit MEAD, ut vix aliquam Medici opem deſideret. [1]) Immites adeo non raro ſunt Variolæ naturales, ut ſumma Medici ope mites reddi nequeant, aut immites manentes ſanari. Fiet tua pace, Amiciſſime SULZERE, ut verba tua, ex epiſtolarum una, ad me humaniſſime ſcripta, in qua tenerrimum tuum erga me affectum, & commiſerationem ob aſperiora fata mea, benevole teſtatus es, hic apponam, cum & liberis tuis amatiſſimis Optimus Parens, & tot aliis, qui ſe tuo arbitrio reliquerunt, Variolas inſeveris, & idoneus ſis rerum actarum teſtis. *Methodus Haëniana bona eſt, ſed quantum operæ impendendum eſt Medico & Ægro durante morbo, quantum patitur Æger, cum Variolæ artificiales vix aliquo remedio indigeant. Ægri in ſuis lectulis contenti ſunt ſua ſorte, hilareſque & dolorum ignari, ſi febrem ante eruptionem excipias. Multos habui & adultos etiam, qui lectum haud petierunt, quam quia puſtulas in cute gererent, dum nil fere notatu dignæ moleſtiæ patiebantur. Neque deſtituebantur libertate fruendi commercio & colloquio Amicorum, etiam extra lectum. Qualis vero differentia dolorum ante eruptionem, & quam maxime malorum graviſſimorum durante ſuppuratione ferendorum, periculorumque quibus naturales homines exponunt vitæ, ſanitatis & integritatis ſenſuum intuitu. Nunquam credam eas morbum eſſe facilem, miror dari ullum Medicum, qui hoc ipſum publice tueri audeat. O quot exempla fu-*

1) *de Variolis p. 70.*

 neſta

neſta vidi! & quot Tu vidiſti mi Tralles. Ambulavi cum Illuſtriſſimo quodam Comite Saxone adulto d. W. ad fallendum tempus per conclave, qui Inoculationem admiſerat, ne per totam vitam timere variolas cogeretur, poſtquam frater ejus naturales paſſus eſſet, tertio demum menſe a ſymptomatibus liber, cute cicatricibus fœda & oculis læſis ad reliquum Vitæ tempus, & poſtquam ſoror ipſius paucas ante hebdomades iisdem eſſet mortua. Ah Optime SULZERE! quam differebant indicibiles ærumnæ, verbisque haud exprimendæ miſeriæ, ab incommodis fere nullis poſt Inoculationem, quas perpeſſus eſt Æger Hiſt. II. & Ægra dilectiſſima Hiſt. VII. Quam intolerabiles dolores, & hanc & illum comitati ſunt ad tumbam! Vix perduellionis, læſæque Majeſtatis infami crimine reis, majus inveniri poteſt ſupplicium. Deme ſtigmata conſcientiæ, plura ſæpe patitur Varioloſus. Linquam chara hæc capita, ne amoris & amicitiæ affectui plus dediſſe videar quam gradus malorum exigebant, neque reminiſcar cruciatuum quos olim experta eſt amatiſſima Uxor, faucibus mortis tandem erepta. Alia et multa mihi ſupereſſent nomina, quæ bona fide conſcribendis ægrotantium Martyrologiis inſerere, & citare hic poſſem, ſi opus eſſet. Graphice miſerias Variolis laborantium deſcripſere SYDENHAMUS, BOERHAAVIUS, FREIND, HUXHAM & alii, nemoque Veteranorum Practicorum eas ignorat. Siccine vero cordati & boni, & religioſi, & chriſtiani Medici, patiemur amplius, Ægros ita feriri, ut aut ſanari, ſi iis liceat eſſe adeo beatis, aut mori ſe ſentiant miſeri, qui vitæ & ſanitatis tutelam nobis tradidere? Siccine adſtabimus compoſito placidoque vultu, pacato

corde,

corde, frigente ſanguine & omiſſionis culpa ſaltem diſtincti a commiſſionis crimine infamatis Neronibus, Domitianis, Deciis &c. Forte non multo majores cruciatus expertus eſt *Johannes Chriſti* Legatus, in fervens oleum juſſu Domitiani conjectus, ac eos patitur Æger ex cauſtica ſanie variolarum confluentium, omni corpori ſuo circumfuſa. Saltem *Tertulliano* teſte, vivus & ſalvus ille inde evaſit, cum huic ſæpe pereundum ſit, inter gemitus & ejulatus. Lento igne Valeriano jubente uſtus eſt *Laurentius* Diaconus romanus, quem varii autores ferrea crate toſtum enarrant, ſed citius de finito acerbo hoc ſupplicii genere gaviſus eſt, quam gaudent variolarum carbonibus per tot dies, intus & foris uſtulati. Miſerrimo mortis genere peribant Martyres chriſtiani, qui tunicam ſic dictam moleſtam ex ſulphure, pice, cera, lino, ſtupa confectam & accenſam induere juſſi erant, ut *Caſaubonus* ad *Sueton. Aug.* c. 30. & *Baronius* ad *Martyrol. 2. April.* recenſent. Sed illa quam gerunt Variolis confluentibus & malignis affecti tunica moleſtiſſima, inflammationis igne ardens, vix mitius trucidat, maxime ſi Veſicantia non indicata Medicus addat. Miſericordia ducti, qui Amici Proximi habemur, & nos præſtare poſſe gloriamur, ejurato omni pruritu contradicendi, abjecta omni vincendi gloria, abjecta omni voluptate carpendi inventa, quæ noſtra non ſunt, inquiramus ſerio, ſitne Inoculatio illud medium, an minus, quo vindicare humanum genus a tot doloroſis ſenſationibus queamus. An cauſa DEI qui nos amat, qui hominum mentes inſtruit & acuit, ut conſervationi ſui ſufficiant, qui cupit ut nobis bene ſit, & vitam noſtram elongemus, qui avtochiria offenditur, pateretur aliquid de-

trimenti per Inoculationem? An quando proximum Ægrum ad deſperationem jam excruciatum cernimus, & olim præcavere ejus ærumnas potuiſſemus,

Tantum Religio potuit ſuadere malorum?

§. 28.

Epilogus. Sane ceſpitantem, neſcientem quo ſe vertat, movere debet unanimis tot Illuſtrium, ſapientum, & religioſorum quoque, ac pientiſſimorum Medicorum circa Inoculationem inſtituendam conſenſus (licet alioquin multitudo errantium nullam errori veniam pariat) comparatus cum artis medendi variolis ſine præjudicio conſideratæ, evidente ſæpe impotentia. Hæc ſerio & attente conſiderata plus me Inoculationi devincit, quam faſciolæ, in honorem ejus ex ſerico contextæ, & ab elegantiore Sexu vittis geſtatæ, aut nummi Holmiæ ad aſſerendam ejus dignitatem cuſi, noſtro hoc ſeculo, quo Præjudiciorum vis ad ſtuporem tyrannidem exercet, etiam inter Eruditos, veritatem ſectari unice ſibi viſos, vitraque colorata oculis obtruduntur, ut ex voluntate præponentium objecta talia compareant, qualia comparere debent, qualia haberi oportet. Cernere ſine objecto glaucomate volentes nubem teſtium veritatis offendunt in Anglia, Gallia, Italia, Suecia, Dania; harumque regionum urbes capitales abundant exemplis liberorum Principum, & Magnatum, qui fauſtiſſimo eventu Inoculationi ſubjecti ſunt. Neque alienus fuit narrante de la CONDAMINE [1]) Pontifex maximus Benedictus XIV. ab approbatione hujus methodi. Ratam eam habuerunt Pariſiis Doctores Sorbonici, cauſam Dei & religionis tueri juſſi. Non dubitavit juſtam & bonam declarare Officium Inquiſitionis. Nullam ergo

1) *II. Memoire.*

ergo caufam erubefcendi habet Eximius CHAIS quod *Apologiam Inoculationi* fcripferit, plenam pietate & doctrina. Ego interim nullum argumentum in toto hoc fchediafmate, licet alia tetigerim, & tangere debuerim, meum eſſe volo, quam id, quod Variolas morbum fæpe infuperabilem omni etiam medela poſſibili adhibita, declarat, ne per lubricam & valde incertam fpem facilis olim futuræ fanationis, Inoculationis prærogativis, fi commonftrari poſſunt a Viris expertis, ut mihi quidem videtur, aliquid decedat. Non puto hac adfertione, quam vel mea propria tot annorum experientia tueri valet, peccaſſe in merita infignia Illuftr. de HAEN, quæ revereor deditiſſimo animo, & colo, & amo. Acriter pugnabat primo contra Infitionem Vir fummus IOANNES SLOANE, fed omnibus expenfis abibat in commodorum ejus fidelem Confeſſorem ftrenuumque Defenforem. Prorfus ita fefe gerebat Cl. GUIOT. Forte aliter fentient olim alii, qui ipfi nunc contrariantur. Opinionum commenta delet dies, vera experimenta & naturæ judicia confirmat. Si per meum infortunium, cujus occafione libellum hunc, propriæ fanitatis & tranquillitatis detrimento confcripfi, mille alia avertantur, magnum redundabit in adhibitam meam opellam præmium, magnum in me tenuem Auctorem, fi vivere perrexero, folamen. Exactius aliquantifper doctiusve elaboratum, & politum magis exhibuiſſem & exhibere debuiſſem Cenfuræ publicæ hunc laborem, fed impoſſibile mihi eft, fufius inhærere contemplationi, & effectus meditari acutiſſimi fæpe veneni variolofi, cujus folam triftiſſimam ideam in me agere fentio, ut Venenum lentum.